DE DEMOSTHENIS MIDIANA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE VII MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXXIV.

HORA X

IN PUBLICO DEFENDET

PETRUS BASTGEN

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXIV.

DE
DEMOSTHENIS MIDIANA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE VII MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXXIV

HORA X

IN PUBLICO DEFENDET

PETRUS BASTGEN

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXIV.

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

S.

Demosthenis in Midiam oratione, qua nulla fere alia magis studium virorum doctorum excitavit, tam multa continentur quae offensioni fuerunt ut non solum omnes qui in ea enarranda et emendanda operam collocaverunt eam a Demosthene perpolitam esse negaverint, sed etiam nonnulli talem qualis tradita esset ab illo non profectam sed a librario aliquo aut ex duabus de eadem re orationibus aut ex scidulis a Demosthene conscriptis conglutinatam esse dixerint. Sed cum multa iniuria vituperata esse in ea oratione neque ii qui hanc orationem a librario congestam esse contendunt satis firmis argumentis rem comprobavisse mihi videantur et neminem adhuc recte de eius dispositione iudicasse persuasum mihi sit, operae pretium esse puto quibus argumentis ea quae de Midianae condicione ac dispositione prolata sunt nitantur quidque mihi de illis rebus statuendum esse videatur exponere. Atque ita commentationem instituere mihi in animo est ut primum examinem quibus causis viri docti adducti sint ut hanc orationem a Demosthene perpolitam non esse affirmarent, deinde de eorum sententiis qui eam a librario aliquo compositam esse putant disputem, tum quam dispositionem in ea inesse viri docti censuerint contempler, postremo exponam quid ipse de eius condicione ac dispositione iudicem.

Ac primum quidem Blassius[1]) duo prooemia in initio huius orationis inesse contendit, quorum alterum (§ 5—8) quodammodo cum iis quae § 4 dicantur pugnet. Quod suo iure ille affirmat. Nam § 1—4 Demosthenes dicit ex Atheniensium legibus se Midiam, cum ab eo et per choregiam multis iniuriis et die festo plagis af-

[1]) Blafs Attische Beredsamkeit III [1] p. 290.

fectus esset, apud populum accusavisse (*προβαλέσθαι*) et nunc in iudicium vocavisse et summam in se esse fiduciam iudices severe et iuste in eum animadversuros et iniurias quae ipsi illatae sint ulturos esse; § 5—8 autem, quasi supplex sit, iudices ut benigne se audiant et auxilio sibi veniant orat. Itaque ea quae altero prooemio continentur non satis concinunt cum fiducia atque spe illa quacum orator in § 4 loquitur. Quod deinde Blassius cum vituperatione dicit § 5 Demosthenem non satis clare et distincte quid velit significare eademque quae iam § 1 narrata sint proferri, minus recte eum iudicasse puto. Mihi enim sententia huius loci satis accurate videtur esse expressa, et quae dicuntur suo loco sunt, quamquam iam antea memorata; hic enim indicant qua re commotus orator precibus aditurus sit iudices, illic autem huius accusationis causam praebent, ita ut appareat neutro loco illa supervacanea esse.

Iam complures viri docti (Schaefer,[1]) Buttmannus,[2]) Wachendorfius, Esius) in eo offendunt quod illa quae inde a § 13—18 invenitur Midiae in Demosthenem et tribules iniuriarum enarratio tam brevis atque ieiuna sit, praesertim cum secundum § 12 verba *βούλομαι δ' ἕκαστον ἀπ' ἀρχῆς ὧν πέπονθα ἐπιδείξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν ἃς τὸ τελευταῖον προσενέτεινέ μοι* descriptio multo accuratior exspectetur. Sane negari non potest hanc narrationem sub finem satis brevem videri, initium eius autem usque ad extremam § 16 mea quidem sententia satis plenum atque perfectum est. Quod ultima pars non tanta cum diligentia elaborata est eo fortasse pertinet quod Demosthenes, cum hanc orationem, quam nunquam ipsum edidisse apertum est,[3]) componeret, id unum spectavit ut talem orationem perficeret quali apud iudices uti posset. Iudicibus autem res § 17 et 18 narratae multo magis notae erant illis priore parte explicatis. Praeterea haud scio an ex tempore has res in iudicio multo planius et fusius exponere in animo habuerit. Cur igitur omnia antea scriberet quae facillime non scripta dicere posset? Quamquam negari non potest in oratione perpolita et in publicum emissa illud magnopere displiciturum fuisse.

---

[1]) Schaefer Demonsthenes und seine Zeit III p. 61.

[2]) In Midianae ab eo editae p. 124.

[3]) Cf. Weil Les plaidoyers politiques de Démosthène n. 104—106; Schaefer l. l. III p. 58 sq.

Non satis recte quae inde a § 25—28 leguntur conscripta sunt. Ita enim γραφὴ ὕβρεως et προβολή inter se opponuntur ut res confundantur atque turbentur, quin etiam γραφὴ ὕβρεως, quae semper erat actio publica, inter actiones privatas enumeratur. De ea re Boeckhius [1]) accurate egit neque quisquam adhuc quae ille disputavit refellere conatus est. Illud eo factum esse puto quod orator δίκαις ἰδίαις eas actiones significare voluit quae de iniuriis singulis hominibus illatis instituebantur, ita ut opposita essent iis quibus de sola re publica laesa agebatur; nam § 24 verbis δίκας ἰδίας λαχεῖν (scil. δίκην βλάβης, γραφὴν ὕβρεως) opposita sunt verba δημοσίᾳ κρίνειν (scil. προβολῇ vel γραφῇ ἀσεβείας).

Deinde Boeckhius, Schaefer, Blassius illam de Euthyno et Sophilo narrationem quae § 71 legitur, quod nimis obscura sit, reprehendunt, cum non facile uter eorum utrum necaverit cognoscatur, quo factum esse ut scholiasta Euthynum interfectum esse falso existimaret. Sed hoc non tam magni faciendum est, cum satis facile Sophilum ab Euthyno occisum esse perspiciatur. Tamen hic locus mihi quoque displicet, quod tot accusativi singularis cumulantur; accedit quod neque hiatus satis evitatus est neque verba tam numerose cadunt quam in iis Demosthenis orationibus quae perpolitae et diligenter elaboratae sunt fieri solet.

Iam Blassius in iis quae de Stratonis calamitate ab oratore inde a § 83—101 exponuntur magnopere offendit. Ac primum quidem vituperat quod orator iam hoc loco iniuria quae a Midia Stratoni illata erat ad removendam iudicum misericordiam utitur, tum hanc ipsam rem ita tractatam esse contendit ut multa prorsus non placeant. Quid de illa re nobis videatur exponemus, cum de loco huic simillimo, qui invenitur inde a § 186, disputabimus. Quam ob rem statim consideremus num iure Blassius hanc partem male elaboratam esse contendat. Haeret in eo quod orator, cum post ipsam enarrationem illud delictum auxerit (§ 88—93), interpositis argumentis iterum augeat § 95—97 et tum iudicum iram incendere misericordiamque tollere studeat. Sed si quis totum locum accuratius perlustraverit, haud ita magna ei illa offensio esse videbitur.

[1]) Kleine Schriften V p. 170.

Nam illa Stratonis calamitas tam apta erat ad iudicum iram in Midiam inflammandam misericordiamque excutiendam ut nimis ea uti non posset. Quod cum haud ignoraret Demosthenes, argumentis § 93—94 prolatis iterum de eadem re disseruit et satis feliciter, ut offendere vix possit, Stratone ipso arcessendo opportunitatem eiusdem rei etiam ultra exaggerandae sibi comparavit et iam coram hunc iudicibus ostentans summo cum ardore et summa cum vi dicendi Midiae malitiam persecutus est.

In hac eadem particula nonnulli loci sunt qui in scholiis ut obscuri notantur, velut quae § 89 leguntur *συνέβη δὲ ὑπερημέρῳ γενομένῳ λαθεῖν αὐτῷ διὰ τὸ ἀδικηθῆναι.* De quibus verbis suo iure scholiasta dicit: *ἀσαφὲς εἶναι δοκεῖ τοῦτο. — διὸ καὶ τοῦτο τὸ μέρος ὠβέλισται παρὰ τῶν κριτικῶν καὶ ὡς ἀδιόρθωτον παραλέλειπται;* nam quamquam, ut Schaefer confirmat, is qui haec verba attente contemplatur quid significent videre potest, tamen ab iudicibus, quibus non multum temporis erat ad ea consideranda, facile perperam accipi poterant. Iniuria autem scholiasta § 100 verba *τίς οὖν ὑβρίζων παύσεται καὶ δι' ἃ ταῦτα ποιεῖ χρήματα ἀφαιρεθήσεται κ. τ. λ.* obscura esse mihi videtur contendere. Nam quae sit sententia illorum verborum ex rerum cohaerentia dilucide apparet neque quemquam ignorare puto qui § 98 verba *ἀλλ' ὅτι πλούσιός ἐστιν; ἀλλὰ τοῦτό γε τῆς ὕβρεως αὐτοῦ σχεδὸν αἴτιον εὑρήσετε ὄν, ὥστ' ἀφελεῖν τὴν ἀφορμὴν δι' ἣν ὑβρίζει προσήκει μᾶλλον ἢ σῶσαι διὰ ταύτην· τὸ γὰρ χρημάτων πολλῶν θρασὺν καὶ βδελυρὸν καὶ τοιοῦτον ἄνθρωπον ἐᾶν εἶναι κύριον ἀφορμήν ἐστιν ἐφ' ὑμᾶς αὐτοὺς δεδωκέναι* attente legerit vel audiverit. Scholiasta id quoque reprehendit quod Demosthenes Stratonem prodire iubet, cum ei qui *ἄτιμος* sit in iudicio adesse non liceat. Sed Demosthenem certe illud facturum non fuisse, nisi licuisset, suo iure Schaefer [1]) dicit. Nonne enim illa capitis deminutione non omnia iura civilia, sed partem eorum amissa esse credi potest? Sed si quis nihilo-, minus scholiastam verum contendere putaverit et propter id ipsum Demosthenem tale quidquam facturum non fuisse ratus ab interpolatore aliquo illum locum adiunctum esse existimaverit, ei responderi potest totum locum tantopere Demosthenis animum et

---

[1]) L. l. p. 60.

dicendi vim spirare ut ab interpolatore eum esse confectum credi prorsus nequeat.

Quae inde usque ad § 112 sequuntur mihi videntur satis plana esse; num Blassius in his quoque offenderit ex ipsius verbis non elucet, cum dicat in § 102—127 multa esse vituperanda. Narrat orator quibus machinationibus Midias post probolam in ipsum invectus sit: accusavit ille Demosthenem per Euctemonem aciei desertae, praeterea propinquos Nicodemi ab Aristarcho interfecti pecunia oblata commovere studuit ut Demosthenem necis accusarent. Quam Midiae nequitiam postquam § 107 testimonio allato evicit, orator statim eam qua illud puniendum erat legem proferri iubet. Interim § 108—112, quo loco Blassius iniuria rem in maius augeri affirmat, paucis verbis animos iudicum sibi reconciliare studet, si qui graviter ferant quod tam vehementer atque acerbe in Midiam invehatur, dicens certe unumquemque eorum, si talia perpessus sit, idem facturum esse. Iam recitatur illa lex (§ 113), de qua orator nihil adicit. Qua re Blassius haud iniuria miratur, cum oratores veteres, ubicunque legibus vel testimoniis utuntur, nonnulla de iis addere soleant, quo melius quid ex iis efficiatur eluceat itaque persuadendi vis augeatur. Insequenti particula (§ 114 et 115) Demosthenes illas accusationes quibus Midias post choregiam se petiverit fundamento prorsus carere iis quae postea acciderunt comprobat. Quem locum Blassius postea demum orationi insertum esse putat, cum nonnullae res multo post Demosthenis choregiam factae, imprimis legatio illa Nemeam missa cui Demosthenes praeerat, commemorentur. Sed hoc probari nullo modo potest, cum, ut postea videbimus, oratorem hanc orationem uno tenore composuisse, credi nequeat. Tum autem ne id quidem demonstrari potest eum illam particulam confecisse, cum reliquae orationis partes conscriptae iam essent; nam quando orationem inceperit quandoque litem reliquerit notum non est.

Praeterea Blassius § 114 verba *ἢ πρὸς ἐχθρὸν ἢ φίλον* suo iure obscura esse dicit, cum quid sibi velint postea demum appareat. Referenda enim sunt sine dubio ad illam qua Midias in Aristarchum usus erat agendi rationem inde a § 116 explanatam. Id quoque Blassius suo iure reprehendit quod orator, cum inde a § 116 de Aristarcho verba faciat, subito in § 120 de se ipso dicit *κἂν*

μὲν ἀφῶ τοῦτον ἐγὼ καὶ προδῶ τὴν ὑμετέραν καταχειροτονίαν, οὐδέν, ὡς ἔοικ', ἀδικῶ· ἂν δ' ἐπεξίω, λέλοιπα τὴν τάξιν, φόνου κοινωνῶ, δεῖ με ἀνηρπάσθαι, ita ut haud apte a superioribus ad hoc transeatur. Quod deinde Blassius cum vituperatione dicit § 123—125 alteram contineri exaggerationem eorum quae § 103 sqq. legantur et eadem fere repeti quae § 108 sqq. iam prolata sint mihi prorsus improbatur. Nam quae inde a § 123—125 exponuntur aliud spectant alioque modo enarrantur atque ea quae § 108 sqq. continentur. Hic enim, ut iam supra dictum est, Demosthenes iudicum animos, quos ne propter insatiabile odium quo Midiam persequebatur a se abalienaret satis erat causae cur timeret, placare sibique conciliare studet interrogans quid eorum unusquisque simili accepta iniuria facturus sit; illo autem loco, qui epilogus est eius partis qua iniuriae Demostheni post choregiam a Midia illatae describuntur, iudices admonentur ne talia facinora qualia Midias in se commiserit inulta sinant, cum is qui machinationibus impedire studeat ne facinorum suorum poenas solvat commune ius communemque libertatem e medio tollat.

Venimus ad rem persaepe a viris doctis temptatam. Inde enim a § 99—101 orator iudices ne liberorum illius hominis nefarii eos misereat adhortatur, cum et ipsum Stratonis, quem crudelissime et summa cum iniuria perdiderit, liberorum miseritum non sit. Tum hominum vivendi rationem cum erano comparans unumquemque ita tractandum esse dicit ut ipse in alios agat. Eadem inde a § 184—187 leguntur atque ita quidem ut quae de erano dicuntur iisdem fere atque § 101 verbis repetantur. Quod, quamquam in scholiis excusatur verbis *οὐ δεῖ θαυμάζειν εἰ τοῖς αὐτοῖς ῥήμασι καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τοῦ ἐλέου ἐκβολῇ ἐχρήσατο· σύνηθες γὰρ τοῦτο ποιεῖν τοῖς παλαιοῖς κ. τ. λ.*, in eadem oratione non licere omnes fere qui de hac re verba fecerunt consentiunt. Nam optime Schaefer[1]) ea potissimum re Demosthenis artem cognosci commemorat in orationibus perpolitis atque perfectis quod, quotiescunque ad eandem sententiam redeat, semper aliis verbis alioque modo eam exprimere studeat, ita ut sententiam esse repetitam vix sentiamus. Quomodo autem orta sit illa repetitio magna est dissensio.

---

[1]) L. l. p. 60.

Plurimi utrumque locum a Demosthene scriptum esse putant. Inter quos Taylorus, Spaldingius, Boeckhius oratorem utro loco sententiam illam retineret dubitasse existimant. Sed hac ratione Hauptius [1]) Demostheni nimiam imperitiam imputari ratus comparationem illam § 184, ubi otiosa sit, cum optimo iure adiungatur illi de Stratonis calamitate narrationi, delendam esse censet cum ceteris quae sequuntur usque ad § 192. Sane quidem, si omnino quae ad iudicum misericordiam removendam § 99 sq. proferuntur eum qui iis secundum iustam orationis dispositionem debetur locum tenerent, illa quoque de erano comparatio § 101 suo esset loco; sed equidem in § 186 iustam eius causae sedem esse arbitror, cum ibi cum ea parte coniuncta sit qua cetera quoque quae et Midias ipse et amici eius ut absolvatur dicturi vel facturi sint refutentur. Praeterea, quamquam negari non potest nonnunquam ab interpolatoribus talia addita esse, tamen alterumutrum horum locorum ab interpolatore aliquo profectum esse statui non potest, cum, ut Schaefer bene dixit, nihil in ipsis insit quo a Demosthene eos conscriptos non esse cognoscatur. Dobraeus autem et Spengelius [2]) totum priorem de eranis locum non necessarium esse dicunt in sententiarum nexu, postero autem loco illam comparationem omitti non posse, quin tota rerum cohaerentia interrumpatur. Sed hoc, quamvis verum sit, non satis est causae cur illam comparationem § 101 eiciendam esse putemus, nisi aliud quid accedit quo illum locum suspectum esse appareat. Tum vero ne ea quidem re tota difficultas tollitur; restat enim repetitio eorum quae de misericordia per liberos movenda dicta sunt. Quamquam autem pro certo demonstrari non potest quomodo factum sit ut duobus locis illa comparatio inveniatur, tamen ex totius orationis condicione id facile explicari posse postea videbimus; id quidem certum est in oratione perpolita illud ferri omnino non posse.

Praeterea quae inde a § 189 — 192 leguntur nonnullis viris doctis magnae offensioni fuerunt. Hauptius et Schaefer vituperant quod § 189 — 190 idem refutetur atque insequenti particula § 191 — 192, id quod iam scholiasta animadverterit verbis *μίαν*

[1]) Vierter Jahresbericht für die städtische Realschule zu Posen a. 1857 p. 5.
[2]) In Philolog. XVII p. 608.

οὖσαν ἐναργῶς τὴν ἀντίθεσιν δίχα ἔτεμε πρὸς τὸ χρήσιμον· ἦν γὰρ τοιαύτη· ῥήτωρ οὗτός ἐστιν καὶ πάντα ἐσκεμμένα λέγει καὶ παρεσκευασμένα· ὁ δὲ διεῖλεν αὐτὴν πρῶτον μὲν εἰς τὸ ῥήτωρ ἐστὶν .... δεύτερον δὲ τὸ μέρος ἔθηκε τὸ ὅτι ἐσκεμμένα γε πάντα λέγει. Sed errant illi qui omnino eandem rem hic bis tractatam esse existimant. Nam qui orator est, eum quaecunque dicit antea excogitasse atque praeparavisse non necesse est, et si contrarium spectamus, is qui antea excogitata et praeparata dicit propter id non est orator. Verbis igitur *καὶ ῥήτωρ ἐστὶν οὗτος* Midias significat Demosthenem, cum in dicendo plurimum studium plurimamque operam collocaverit, in omnibus artibus dolisque oratoriis tam exercitatum esse ut facile iudicibus, nisi cauti atque providi sint, quaecunque velit vera esse persuadeat. Verbis autem *ἐσκεμμένα καὶ παρεσκευασμένα πάντα λέγει* (scil. *Δημοσθένης*) Midias prohibiturus est ne Demosthenis oratio eo maiorem vim atque eventum habeat quod ex tempore haberi videatur. Nam constat oratores veteres de industria id agere solitos esse ut ex tempore loqui viderentur, cum ea re saepe multum proficerent.

Iam Hauptius quae § 189 — 190 leguntur suspecta esse contendit, quod hic tam aperte atque fuse de oratoris nomine disseratur, quo iudices Demosthenis in re publica consiliorum commonefiant, cum ille uno reliquae orationis loco ibique cautissime rempublicam a se capessitam commemoret; quo audacius enim quae e re publica putaret perficere studuerit, eo cautiorem eum in ea re commemoranda esse debuisse, praesertim cum rogationibus suis non solum divitum animos a se abalienaverit, sed etiam populi iura temptaverit.[1]) Sed primum quidem non solum hoc loco et § 29 hanc rem tangit orator, sed etiam § 205, ubi de Eubuli in se inimicitiis verba facit. Tum autem Hauptius non videtur considerasse quid tandem illa quae § 189—190 continentur spectarent. Orator aperte de illa re dicere cogebatur ut, si postea a Midia defendendi causa proferretur, imminuta atque refutata iam esset. Nam ea de causa praesumuntur adversariorum argumenta ut statim, cum ab illis proferantur, a iudicibus ut falsa et inania audiantur. Neque magis Demosthenes hoc loco eam rem tangit quam opus est ad rei argu-

[1]) L. l. p. 7.

mentum infringendum. Itaque tantûm abest ut Hauptio assentiar, qui illam particulam, cum ab interpolatore aliquo addita sit, delendam esse censet, ut hoc loco eam refutationem aptissimam esse arbitrer. Non tam grave mihi videtur quod § 198 eadem fere verba *καὶ πάντες εἰσὶ τούτῳ καθάρματα καὶ πτωχοὶ καὶ οὐδ' ἄνθρωποι* repetuntur quae iam § 185 inveniuntur *καὶ τοὺς μὲν πτωχούς, τοὺς δὲ καθάρματα, τοὺς δ' οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι.* Nam utroque loco ea verba in diverso rerum contextu posita sunt et optimam praebent sententiam neque aliter oratorem rem quam significare volebat tam acriter atque graviter exprimere potuisse existimo. Etiam maiori offensioni essent § 199 verba a Blassio vituperata *τίς γάρ ἐστιν ὅστις καταχειροτονηθὲν αὐτοῦ, καὶ ταῦτ' ἀσεβεῖν περὶ τὴν ἑορτήν, εἰ καὶ μηδεὶς ἄλλος ἐπῆν ἀγὼν ἔτι μηδὲ κίνδυνος, οὐκ ἂν ἐπ' αὐτῷ τούτῳ κατέδυ καὶ μέτριον παρέσχεν ἑαυτὸν τόν γε δὴ μέχρι τῆς κρίσεως χρόνον, εἰ καὶ μὴ πάντα;* si *ἀγών* atque *κίνδυνος* ad iudicium secundum *προβολήν* subeundum spectarent idemque essent atque quae postea *κρίσις* vocatur. Sed omnis repugnantia tollitur, si id certamen atque iudicium significari statuimus quod ille subiturus sit, si interim modeste se non gesserit, sed aliis etiam facinoribus causae suae obtrectaverit.

Optimo porro iure haerent viri docti (Schaefer, Esius,[1]) Blassius) in iis quae leguntur inde a § 205. In huius enim particulae initio vox *οὗτος* invenitur, qua Eubulum antea nondum nominatum significari § 206 demum intellegitur. Tum ipsum quoque § 205 initium minime placet. Antea enim exponitur quibus rebus Midias iudices fallere conaturus sit, et § 205 ad eos qui pro reo dicturi sint transitur verbis *καὶ βοηθοῦσιν οἱ λέγοντες ὑπὲρ αὐτοῦ οὐχ οὕτω τούτῳ χαρίσασθαι μὰ τοὺς θεοὺς βουλόμενοι ὡς ἐπηρεάζειν ἐμοὶ κ. τ. λ.* Qui transitus, quamquam a scholiasta defenditur verbis *ἔστι μὲν τὸ κεφάλαιον εἰσηγμένον κατὰ ἀπόστασιν, ἔξεστι δὲ τὰ τοιαῦτα ἐν ἐπιλόγοις διὰ τὸ εἶναι κομματικὰ καὶ ἀσύνδετα,* tamen hoc loco adeo ferri non potest ut Blassius antea lacunam esse statuat.

Ea quoque quae leguntur inde a § 208—218 magnam praebuerunt offensionem. § 208—212 enim nonnullos homines divites, scil.

---

[1]) Van den Es Commentatio de Demosthenis Midiana (Traiecti ad Rhenum a. 1874) p. 46.

Philippidem, Mnesarchidem, Diotimum, alios, iudices ut Midiam absolvant oraturos esse narratur, et § 213—218 idem praesumitur, nisi quod hic multos homines divites, quorum nullus nominatur, pro Midia oraturos esse contenditur. Quamquam igitur illud utroque loco alio modo refellitur, tamen in eo offendendum est quod § 213 ita incipit quasi de ea re nihildum dictum sit (*πλούσιοι πολλοὶ συνεστηκότες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὑμῶν παρίασι δεησόμενοι· τούτων μηδενί με .... προῆσθε κ. τ. λ.*), neque credi potest in oratione diligenter elaborata talia locum habere.

His igitur potissimum de quibus diximus causis commoti viri docti hanc orationem perpolitam atque perfectam esse a Demosthene negaverunt veterum aliquorum grammaticorum adstipulantes iudicio, de quibus apud Photium in bibl. cod. 265 p. 491 b sic traditur: *διὸ καί τινες ἔφησαν ἑκάτερον λόγον* (i. e. *τὸν κατὰ Μειδίου καὶ τὸν κατ' Αἰσχίνου*) *ἐν τύποις καταλειφθῆναι, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἔκδοσιν διακεκαθάρθαι.* Et certe hanc orationem qualem nunc habemus a Demosthene editam esse nullo modo puto contendi posse, quamquam, ut supra vidimus, non omnia recte vituperata sunt et in nonnullis rebus non tantopere haerendum est quam viri docti arbitrati sunt. Plurimi igitur eorum qui de huius orationis condicione quaesiverunt eam a Demosthene in typis relictam esse censuerunt. Novissimo autem tempore duo exstiterunt viri qui partim illis partim aliis causis adducti eam qualem nunc habeamus a Demosthene compositam esse negarent. Quorum alter, Wachendorfius, [1]) duas orationes Demosthenem confecisse ratus, alteram breviorem et minus diligenter elaboratam, qua apud populum in probolae actione uteretur, alteram, si non omnibus numeris absolutam, at ita perfectam ut perpaucis additis mutatisve apud iudices habere eam posset, eum qui post oratoris mortem orationem ediderit ex duabus illis hanc unam fecisse existimat quae nunc Midianae nomine circumferatur. Alter, Esius, [2]) Demosthenem hic illic quaedam conscripsisse censet quae ei aliquando in ea oratione ex usu essent. Quas scidulas avidum aliquem librarium repperisse et in unam orationem

---

[1]) Programm des königl. Gymn. zu Neuſs für das Schuljahr 1878 bis 1879 p. 8.

[2]) L. l. p. 3.

conglutinasse nihil morantem Demosthenis artem, sed hoc tantum curantem ut quam longissima evaderet oratio, quae quam plurima mereret Sosiis aera. De quibus sententiis quid iudicandum sit iam videamus.

Ac primum quidem Wachendorfius [1]) Esio assentitur affirmanti ferri non posse quod in hac oratione bis eorum quae Midias in Demosthenem choregum peccaverit demonstratio proponatur. § 12 enim oratorem verbis *βούλομαι δ' ἕκαστον ἀπ' ἀρχῆς ὧν πέπονθα ἐπιδείξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν ἃς τὸ τελευταῖον προσενέτεινέ μοι* indicare quibus rebus a Midia violatus sit ostenturum se esse et, postquam in § 19 verbis *τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἠσελγημένα καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικήματα τούτῳ πεπραγμένα ἐφ' οἷς αὐτὸν προυβαλόμην ταῦτ' ἔστιν κ. τ. λ.* illud factum esse significaverit, paulo post § 21, quasi eius rei mentionem nondum fecerit, novam proponere demonstrationem § 21 verbis *ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν ὅσα αὐτὸς ὑβρίσθην, ἔπειθ' ὅσα ὑμεῖς· μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βίον αὐτοῦ πάντα ἐξετάσω κ. τ. λ.* Sed equidem nullam video causam cur in illis verbis haerendum sit, modo recte singula intellegantur. Illi enim verbum *ἐπιδείξας* quod § 12 legitur falso interpretantur. Quae vox hoc loco non, ut illi volunt, demonstrandi vim habet, sed explicandi, exponendi. Vocem *ἐπιδεικνύναι* autem eam notionem habere posse dilucide apparet et ex aliis exemplis et ex iis quae inveniuntur in Xenophontis expeditione Cyri I 3, 13 et VII 4, 23. [2]) Itaque si hoc quoque loco illam vocem ea vi usurpatam esse putamus, omnia in quibus illi offenderunt videmus plana esse atque apta. Pollicetur enim orator § 12 se ab initio quae choregus a Midia passus sit explicaturum esse. Quod promissum postquam exsecutus est inde

---

[1]) L. l. p. 5.

[2]) I 3, 13 *ἐκ δὲ τούτου ἀνίσταντο οἱ μὲν ἐκ τοῦ αὐτομάτου, λέξοντες ἃ ἐγίγνωσκον, οἱ δὲ καὶ ὑπ' ἐκείνου ἐγκέλευστοι, ἐπιδεικνύντες οἵα εἴη ἡ ἀπορία ἄνευ τῆς Κύρου γνώμης καὶ μένειν καὶ ἀπιέναι.* VII 4, 22—23 *οἱ δὲ Θυνοὶ ἐπεὶ εἶδον ἀπὸ τοῦ ὄρους πολλοὺς μὲν ὁπλίτας, πολλοὺς δὲ πελταστάς, πολλοὺς δὲ ἱππέας, καταβάντες ἱκέτευον σπείσασθαι, καὶ πάντα ὡμολόγουν ποιήσειν καὶ πιστὰ λαμβάνειν ἐκέλευον. ὁ δὲ Σεύθης καλέσας τὸν Ξενοφῶντα ἐπεδείκνυεν ἃ λέγοιεν, καὶ οὐκ ἔφη σπείσεσθαι, εἰ Ξενοφῶν βούλοιτο τιμωρήσασθαι αὐτοὺς τῆς ἐπιθέσεως.* Cf. praeterea Platonis Gorg. 464 B. Protag. 347 B. Phaedon. 100 B.

a § 13—18, statim § 19 secundum morem oratorum eas esse in se et tribules et diem festum iniurias dicit et § 21 singula testimoniis allatis convicturum se esse indicat verbis *ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν κ. τ. λ.* Sed fac vera esse quae illi de hac re existimant, tamen ita ut volunt expediri difficultas non potest. Nam si cum iis verba § 19—22, quae una conscripta esse putant, a superioribus segreganda esse sumimus, idem quod illi vituperaverunt vitium adest. Nam Esius, ut ex ipsius verbis[1]) apparet, § 19 verbis *τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἠσελγημένα .... ταῦτ' ἔστιν* oratorem significare contendit se satis superque ostendisse Midiae per choregiam iniurias. Itaque ex illius sententia haec verba scribi non poterant, nisi antea quae Midias peccaverat demonstrata erant. § 21 autem cum rursus eadem argumentatio proponatur, etiam sic duplicem eorundem factorum confirmationem habemus. Mirum autem est quod Wachendorfius[2]) dicit: 'equidem non dubito quin loci p. 521 et 522 (§ 19—25) ex priore oratione desumpti in alteram male inlati sint. Quod idem mihi factum videtur p. 519 et 520 (§ 13—18), quibus continetur demonstratio iniuriarum oratori per choregiam a Midia illatarum', quae verba cum iis quae comprobare vult prorsus pugnare in aperto est.

Iam ad aliam causam transeamus a Wachendorfio et Esio prolatam. Demosthenes, postquam quibus ipse iniuriis a Midia affectus esset explanavit, § 19 sic pergit: *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας παμπληθεῖς αὐτοῦ καὶ ὕβρεις εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μιαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινὰ κ. τ. λ.* Ea autem quae fuerint non statim exponit, sed antea testimoniis quae reus per choregiam in se commiserit facinora convicturus est. Post unum eiusmodi testimonium — reliqua desunt — leguntur in § 23 haec: *πολλὰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν, ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου, καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας τοσαύτας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα.* Attamen quae promittit non statim exsequitur, sed antea ea refutaturum se esse dicit quibus Midiam ad iudices fallendos usurum esse audiverit. Refelluntur nonnulla, tum de superbia

---

1) L. l. p. 22 extr.
2) L. l. p. 8.

(§ 42—50), de magnitudine peccatorum in diem festum commissorum (§ 51—76), de inimicitiarum inter Demosthenem et Midiam origine (§ 77—127) agitur. Quibus peractis tandem § 128 ad eas quae a Midia aliis illatae sint iniurias transitur verbis *εἰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σώφρονα καὶ μέτριον πρὸς τἄλλα παρεσχηκὼς αὑτὸν Μειδίας μηδένα τῶν ἄλλων πολιτῶν ἠδικηκὼς εἰς ἐμὲ μόνον ἀσελγὴς οὕτω καὶ βίαιος ἐγεγόνει κ. τ. λ.* Quam sententiarum coniungendarum rationem, quamvis per se laudanda sit, tamen hoc loco displicere illi [1]) affirmant, quod talis transgressio non iam exspectetur et quod sic consripta sit ut ne uno quidem verbo iam antea eam rem tactam esse significetur. Sed in hac re illi mihi nimii videntur esse. Cur enim orator commemorare debeat iam antea se eius rei mentionem fecisse perspicuum non est, quin etiam languidum futurum esse existimo, si orator iam bis se promisisse hanc enarrationem hoc loco diceret. Quare equidem in hoc transitu prorsus offendendum non esse censeo, praesertim cum, si per se spectetur, optimus sit atque pulcherrimus.

Maxime vero nititur Wachendorfii [2]) sententia ea re quod nonnunquam in hac oratione eaedem res bis tractantur, velut § 208—212 et 213—218, § 99 et 186—188, § 101 et 184—185. Quam earundem rerum repetitionem eo explicari putat quod alteros eorum locorum ex altera oratione depromptos esse dicit. Quod nisi fieri non potuisse ipsis oratoris verbis demonstrari posset, causa gravissima ad Wachendorfii sententiam confirmandam esse videretur. Sed si singulos locos perlustraverimus, illum valde errare cognoscemus. Nam, ut de singulis illis locis singillatim agam, et § 208—212 et § 213—218 ad orationem iudiciariam pertinere ex ipsis apparet. De priore particula conferas velim § 209 verba *ἐνθυμεῖσθ᾽, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ γένοιντο, ὃ μὴ γένοιτο οὐδ᾽ ἔσται, οὗτοι κύριοι τῆς πολιτείας μετὰ Μειδίου καὶ τῶν ὁμοίων τούτῳ καί τις ὑμῶν τῶν πολλῶν καὶ δημοτικῶν ἀνθρώπων ἁμαρτὼν εἴς τινα τούτων, μὴ τοιαῦθ᾽ οἷα Μειδίας εἰς ἐμέ, ἀλλ᾽ ὁτιοῦν ἄλλο, εἰς δικαστήριον εἰσίοι πεπληρωμένον ἐκ τούτων, τίνος συγγνώμης ἢ τίνος λόγου τυχεῖν ἂν οἴεσθε;* et § 211 *οὐδὲν δεινὸν οὐδ᾽ ἐλεεινὸν Μειδίας*

---

[1]) Wachendorf l. l. p. 5; van den Es l. l. p. 32—33.

[2]) L. l. p. 4.

πείσεται, ἂν ἴσα κτήσηται τοῖς πολλοῖς ὑμῶν κ. τ. λ., quae verba nisi in iudicio dici non potuisse consentaneum est. Alteram partem (§ 213—218) in ea oratione quam Wachendorfius Demosthenem in probolae apud populum actione habuisse censet locum non habere dilucidissime cognoscitur verbis § 214 καὶ γὰρ εἰ μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τόθ᾽ ὅτ᾽ ἦν ἡ προβολή, τὰ πεπραγμένα ὁ δῆμος ἀκούσας ἀπεχειροτόνησε Μειδίου, οὐκ ἂν ὁμοίως ἦν δεινόν· Quod autem § 99 et 186—188 de eadem re agitur non ita ut ille vult explicari posse eodem modo demonstratur. § 99 enim verba ut apud iudices proferrentur destinata fuisse et ex iis quae proxime praecedunt et cum his artissime cohaerent perspicitur verbis οὐ παράδειγμα ποιήσετε, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ. et ex § 100 verbis τίς οὖν ὑβρίζων παίσεται καὶ δι᾽ ἃ ταῦτα ποιεῖ χρήματα ἀφαιρεθήσεται; nam a populo poena non irrogabatur, sed id tantum diiudicabatur, utrum causa iudicio committenda esset necne. De § 186—188 autem idem comprobatur § 188 verbis τόθ᾽ ὑμεῖς τοὺς νόμους ἔχοντά με πλησίον ἡγεῖσθε παρεστάναι καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὀμωμόκατε, τούτοις ἀξιοῦντα καὶ ἀντιβολοῦντα ἕκαστον ὑμῶν ψηφίσασθαι. Tertiae illius repetitionis utrumque locum (§ 101 et § 184—185) orationis iudiciariae partem esse demonstrari nequit. Nam priora quidem verba (§ 101) apud populum dici non potuisse elucet ex iis quae de § 99 modo prolata sunt, cum quae § 95—101 leguntur uno tenore conscripta esse apertum sit; sed § 184—185 in oratione iudiciaria sedem suam habere ostendi non potest. Attamen non magis id comprobari potest haec ad probolae actionem pertinere. Itaque potest quidem una haec repetitio ita ut Wachendorfius vult orta esse, sed id non multum valet, nisi aliae atque graviores causae accedant quibus idem ostendatur. Quod autem ille etiam nonnullas alias res in adnotatione [1]) commemorat quae bis in hac oratione repetitae sint, his illa coniectura prorsus non confirmatur, cum illa ne tum quidem si in oratione perpolita legerentur magnae offensioni essent. Velut § 83 sq. quid Midias in Stratonem peccaverit narratur, § 95 sq. autem, quamquam de eodem facto agitur, non narratur illa res, sed augetur et exaggeratur ad iudicum odium in Mediam inflammandum. Quod praeterea § 185

[1]) L. l. p. 4 adn. 3.

et 198 eadem fere verba [1]) usurpantur, id iam supra haud ita offendere diximus. Quae autem sit illa res quam Wachendorfius p. 539 (§ 75—78) tractatam p. 566 (§ 159—161) repeti contendit non perspicio.

Videmus igitur eas causas quas Wachendorfius ad suam sententiam confirmandam protulit praeter unam omnes esse inanes; illud autem quod una illa eiusdem rei repetitio ratione ab eo proposita explicari potest tam levis momenti est ut ne cum specie quidem verisimilitudinis id quod ille vult ex eo concludi liceat. Prorsus autem refutatur eius opinio eo quod exceptis duobus locis brevissimis quaecunque in hac oratione continentur ad orationem iudiciariam pertinere facile demonstrari potest. Quod ita comprobare mihi in animo est ut ex singulis partibus uno tenore conscriptis ea ex quibus illud elucet verba proferam. De § 1—12 cf. § 1 verba *Τὴν μὲν ἀσέλγειαν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τὴν ὕβριν ᾗ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται Μειδίας οὐδένα οὐθ᾽ ὑμῶν οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀγνοεῖν οἶμαι. ἐγὼ δ᾽, ὅπερ ἂν καὶ ὑμῶν ἕκαστος ὑβρισθεὶς προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα, καὶ προυβαλόμην ἀδικεῖν τοῦτον περὶ τὴν ἑορτὴν κ. τ. λ.* § 2 *ἐπειδὴ δὲ καλῶς καὶ τὰ δίκαια ποιῶν ὁ δῆμος ἅπας οὕτως ὠργίσθη . . . ἐφ᾽ οἷς ἠδικημένῳ μοι συνῄδει ὥστε πάντα ποιοῦντος τούτου καί τινων ἄλλων ὑπὲρ αὐτοῦ οὐκ ἐπείσθη οὐδ᾽ ἀπέβλεψεν εἰς τὰς οὐσίας τὰς τούτων οὐδὲ τὰς ὑποσχέσεις, ἀλλὰ μιᾷ γνώμῃ κατεχειροτόνησεν αὐτοῦ, πολλοί μοι προσιόντες, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τῶν ἐν τῷ δικαστηρίῳ νῦν ὄντων ὑμῶν κ. τ. λ.* § 6 *ἣν ὑπὲρ τούτων ἀγανακτήσας καὶ συνοργισθεὶς καταχειροτονίαν ὁ δῆμος ἐποιήσατο, ταύτην εἰσέρχομαι κ. τ. λ.* § 11 *ἐνθυμεῖσθε, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.*

De § 13—18, quam partem Wachendorfius [2]) ex priore oratione depromptam esse contendit, quamquam paulo antea omnino fieri non posse dicit ut quae olim prave coaluerint nunc apte secernantur et quaenam fuerit pristina orationis forma ne divinare quidem licere affirmat, cf. § 16 *καὶ οὐδ᾽ ἂν ἐπεχείρησα ἔγωγε κατηγορεῖν*

---

[1]) § 185 *ἄλλος τις . . . καὶ τοὺς μὲν πτωχούς, τοὺς δὲ καθάρματα, τοὺς δ᾽ οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι.* § 198 *καὶ πάντες εἰσὶ τούτῳ καθάρματα καὶ πτωχοὶ καὶ οὐδ᾽ ἄνθρωποι.*

[2]) L. l. p. 8.

αυτοι νῦν, εἰ μὴ καὶ τότε ἐν τῷ δήμῳ παραχρῆμα ἐξήλεγξα. § 18 *ὑμεῖς ἐστέ μοι μάρτυρες, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.*

De § 19—22 cf. § 20 *ἐφ᾽ οἷς τῶν πεπονθότων οἱ μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ... ἡσυχίαν ἔσχον . . . . τῆς δ᾽ ὑπὲρ τῶν νόμων, οὓς παραβὰς οὗτος κἀκείνους ἠδίκει καὶ νῦν ἐμὲ καὶ πάντας τοὺς ἄλλους, ὑμεῖς ἐστε κληρονόμοι.*

De § 23—28 cf. § 25 *ἔστι δὲ πρῶτον μὲν ἐκεῖνο οὐκ ἄδηλος ἐρῶν . . . . ὡς εἴπερ ἀληθῶς ἐπεπόνθειν ταῦτα ἃ λέγω, δίκας ἰδίας μοι προσῆκεν αὐτῷ λαχεῖν, ... οὐ μὰ Δί᾽ οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι.* § 26 *προβαλέσθαι μ᾽ ἔδει καὶ παρ᾽ αὐτὰ τἀδικήματα τὴν τιμωρίαν ποιεῖσθαι . . . . τίς ἂν οὖν ἑτέραν εἵλετο τιμωρίαν.* § 27 *φεύγοντος μὲν γάρ, οἶμαι, καὶ ἠδικηκότος ἐστὶ . . . . δικαστῶν δέ γε σωφρόνων τούτοις τε μὴ προσέχειν καὶ ὃν ἂν λάβωσιν ἀσελγαίνοντα κολάζειν.*

De § 29—35 cf. § 29 *οἶδα τοίνυν ὅτι καὶ τούτῳ πολλῷ χρήσεται λόγῳ "μή με Δημοσθένει παραδῶτε μηδὲ διὰ Δημοσθένην με ἀνέλητε. ὅτι ἐκείνῳ πολεμῶ, διὰ τοῦτό με ἀναιρήσετε;"* quibus verbis Midias poenam significat quae, si condemnetur, sibi immineat; praeterea cf. § 34 *εἰ δὲ χορηγὸν ὄντα ὑμέτερον . . . . δημοσίας ὀργῆς καὶ τιμωρίας δίκαιός ἐστι τυγχάνειν.*

De § 36—41 cf. § 37 *εἰ μὲν τοίνυν ἀποτρέψαι συμφέρει τοὺς ἄλλους, τοῦτον καὶ δι᾽ ἐκεῖνα κολαστέον καὶ μᾶλλόν γε ὅσῳπερ ἂν ᾖ πλείω καὶ μείζω· εἰ δὲ παροξῦναι καὶ τοῦτον καὶ πάντας, ἐατέον.*

De § 42—50 cf. § 42 *ὦ ἄνδρες δικασταί· κατὰ γὰρ τοὺς νόμους δικάσειν ὀμωμόκατε. καὶ θεωρεῖθ᾽ ὅσῳ μείζονος ὀργῆς καὶ ζημίας ἀξιοῦσι τοὺς ἑκουσίως καὶ δι᾽ ὕβριν πλημμελοῦντας τῶν ἄλλως πως ἐξαμαρτανόντων.* § 50 *τὸν τοίνυν οὐ παρὰ τοῖς Ἕλλησι μόνον εὐδοκιμοῦντα νόμον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις εὖ δόξαντ᾽ ἂν ἔχειν, σκοπεῖσθ᾽ ὁ παραβὰς ἥντινα δοὺς δίκην ἀξίαν ἔσται δεδωκώς.*

De § 51—69 cf. § 57 *εἶτα τὸν μὲν χορευτὴν οὐδ᾽ ὁ προσκαλέσας κατὰ τὸν νόμον ἀζήμιος ἔσται, τὸν δὲ χορηγὸν οὐδ᾽ ὁ συγκόψας παρὰ πάντας τοὺς νόμους οὕτω φανερῶς δώσει δίκην;* § 61 *οὐκ οὖν δεινόν, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.*

De § 70—76 cf. § 70 *εἰ τοίνυν τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἄλλως πως ἔχει τὴν ὀργὴν ἐπὶ Μειδίαν ἢ ὡς δέον αὐτὸν τεθνάναι, οὐκ ὀρθῶς ἔχει . . . ἀλλὰ τὸν μὲν ὡς ἁπάντων τῶν ἀνηκέστων αἴτιον*

κολάζειν προσήκει, τῷ δ' ἐπὶ τοῦ βοηθεῖν ἀποδιδόναι τὴν χάριν. § 76 τί οὖν; ἐμοὶ τῷ τοσαύτῃ κεχρημένῳ προνοίᾳ τοῦ μηδὲν ἀνήκεστον γενέσθαι ὥστε μηδ' ἀμύνασθαι, παρὰ τοῦ τὴν τιμωρίαν ὧν πέπονθα ἀποδοθῆναι προσήκει κ. τ. λ.

De § 77—94 cf. § 77 οἶμαι τοίνυν τινὰς ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ. § 92 καίτοι εἰ παρὰ τῶν ἔρημον καταδιαιτησάντων αὐτοῦ τηλικαύτην δίκην οὗτος ἀξιοῖ λαμβάνειν, τίν' ὑμῖν προσήκει παρὰ τούτου λαβεῖν τοῦ φανερῶς τοὺς ὑμετέρους νόμους ἐφ' ὕβρει παραβαίνοντος κ. τ. λ.

De § 95—101 cf. § 98 οὐ παράδειγμα ποιήσετε; καὶ τί φήσετε, ὦ ἄνδρες δικασταί; § 100 τίς οὖν ὑβρίζων παύσεται καὶ δι' ἃ ταῦτα ποιεῖ χρήματα ἀφαιρεθήσεται, εἰ τοῦτον μὲν ὥσπερ δεινὰ πάσχοντα ἐλεήσετε, κ. τ. λ.

De § 102—107 cf. § 102 ἡγοῦμαι τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ εἰ μηδὲν ἔτ' ἄλλο εἶχον κατηγορεῖν Μειδίου .... δικαίως ἂν ὑμᾶς ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ καταψηφίσασθαι καὶ τιμᾶν αὐτῷ τῶν ἐσχάτων et § 103, ubi res narrantur quas post probolam factas esse constat.

De § 108—115 cf. § 108 ἐν ὅσῳ τὸν νόμον .... λαμβάνει .... ὦ ἄνδρες δικασταί. § 109—115, ubi inde a verbis πολλῷ δεινότερα ὕστερον ἄλλα προσεξεργάζοιτο καὶ χρῷτο τῷ πλουτεῖν de iisdem atque § 103 rebus agitur, quas post suffragia a populo de Midia lata gestas esse modo audivimus.

De § 116—122 cf. § 116 sqq., quibus illa agendi ratio qua Midias post probolam in Aristarchum usus est explanatur.

De § 123—127 cf. § 124, ubi verbis οὐ δὴ δεῖ παρορᾶν τὰ τοιαῦτα, οὐδὲ τὸν ἐξείργοντα δέει καὶ φόβῳ τὸ δίκην ὧν ἂν ἡμῶν ἀδικηθῇ τις λαμβάνειν παρ' αὐτοῦ ἄλλο τι χρὴ νομίζειν ποιεῖν ἢ τὰς τῆς ἰσηγορίας καὶ τὰς τῆς ἐλευθερίας ἡμῶν μετουσίας ἀφαιρεῖσθαι. ἐγὼ μὲν γὰρ ἴσως διεωσάμην, καὶ ἄλλος τις ἄν, ψευδῆ λόγον καὶ συκοφαντίαν, καὶ οὐκ ἀνήρπασμαι illae res § 103 sqq. narratae significantur quibus Midias iudicium effugere studuit. Ad eadem respicitur § 126 verbis καὶ πάντ' ἐπιβουλευόμενος τρόπον καὶ πάσχων κακῶς ἐκπέφευγα κ. τ. λ. § 127 δεῖ δὴ τούς γε βουλομένους ὀρθῶς τὴν κατ' ἀξίαν .... δίκην λαβεῖν οὐχ ὡς ὑπὲρ ἐμοῦ ὄντος μόνου τοῦ λόγου τὴν ὀργὴν ἔχειν, ἀλλ' ὡς ἐν ταὐτῷ

τῶν νόμων, τοῦ θεοῦ, τῆς πόλεως, ὁμοῦ πάντων ἠδικημένων, οὕτω ποιεῖσθαι τὴν τιμωρίαν κ. τ. λ.

De § 128—130 cf. § 128 .... ἔπειτ᾽ ἐφοβούμην ἂν μὴ τὸν ἄλλον ἑαυτοῦ βίον οὗτος μέτριον δεικνύων καὶ φιλάνθρωπον διακρούσηται τούτῳ τὸ δίκην ὧν ἐμὲ ὕβρικε δοῦναι.

De § 131—135 cf. § 131 ὅσα μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.

De § 136—140 cf. § 136 τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις ὁρῶ τοῖς κρινομένοις, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.

De § 141—142 cf. § 142 προσήκειν μέντοι τούτῳ μὴ ταῦτα λέγειν ἡγοῦμαι νυνί, ἀλλ᾽ ὡς οὐ πεποίηκέ τι τούτων ὧν αὐτοῦ κατηγόρηκα διδάσκειν, ἐὰν δὲ μὴ δύνηται, διὰ ταῦτ᾽ ἀπολωλέναι πολὺ μᾶλλον. εἰ γὰρ τηλικοῦτός τίς ἐστιν ὥστε τοιαῦτα ποιῶν δύνασθαι καθ᾽ ἕνα ἕκαστον ἡμῶν ἀποστερεῖν τοῦ δίκης παρ᾽ αὐτοῦ τυχεῖν, κοινῇ νῦν, ἐπειδήπερ εἴληπται, πᾶσιν ὑπὲρ ἁπάντων ἐστὶ τιμωρητέος ὡς κοινὸς ἐχθρὸς τῇ πολιτείᾳ.

De § 143—150 cf. § 148 μὴ τοίνυν ὑμῖν πρὸς τῷ μὴ καλὸν μηδὲ θεμιτὸν νομίζετε, ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.

De § 151—174 cf. § 151 ἔνιοι μοι προσιόντες, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ. .... τίνος τιμήσειν αὐτῷ προσδοκᾷς τὸ δικαστήριον; § 152 ἐγὼ δὲ .... οὐδ᾽ ὑπολαμβάνω τιμήσειν οὐδενὸς ἐλάττονος τούτῳ ἢ ὅσον καταθεὶς οὗτος παύσεται τῆς ὕβρεως. § 169 οὐδ᾽ οὕτω δήπου τό γε δοῦναι δίκην ὧν ὕβρικεν ἐκφυγεῖν ταῖς λειτουργίαις δίκαιος ἂν ἦν.

§ 175—183 in oratione iudiciaria locum suum habere, praeterquam quod in § 177 leguntur verba τοῦτ᾽ ἔχετε ὑμεῖς οἱ δικάζοντες, ex eo satis apparet quod in omnibus exemplis hic prolatis, imprimis in ultimis, poenae quam singuli solverunt maximum pondus tribuitur.

§ 184—185 apud populum dici potuisse iam antea (p. 14) vidimus.

§ 186—188 ad orationem iudiciariam pertinere iam supra (p. 14) demonstratum est.

§ 189—190 ut in iudicio proferrentur destinata fuisse ostendi nequit.

De § 191—192 cf. § 191 τάχα τοίνυν ἴσως καὶ τα τοιαῦτ᾽ ἐρεῖ, ὡς ἐσκεμμένα καὶ παρεσκευασμένα πάντα λέγω νῦν. ἐγὼ δ᾽ ἐσκέφθαι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φημὶ καὶ οὐκ ἂν ἀρνηθείην, καὶ

μεμελετηκέναι γ' ὡς ἐνῆν μάλιστα ἐμοί· καὶ γὰρ ἂν ἄθλιος ἦν, εἰ τοιαῦτα παθὼν καὶ πάσχων ἠμέλουν ὧν περὶ τούτων ἐρεῖν ἔμελλον πρὸς ὑμᾶς· γεγραφέναι μέντοι μοι τὸν λόγον Μειδίαν, quae vix in probolae actione proferri poterant, cum inter ipsam et iniuriam illatam brevissimum temporis spatium interiectum esset, id quod Demosthenes certe ad refutandum Midiae argumentum commemoravisset.

De § 193—201 cf. § 193 *οἶμαι τοίνυν αὐτὸν οὐδὲ τοῦ δήμου κατηγορεῖν ὀκνήσειν οὐδὲ τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ' ἅπερ τότ' ἐτόλμα λέγειν ὅτ' ἦν ἡ προβολή, ταῦτα καὶ νῦν ἐρεῖν κ. τ. λ.* § 197 *ὅταν οὖν τοῦτο ποιῇ, ἐνθυμεῖσθε παρ' ὑμῖν αὐτοῖς, ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.* praeterea § 198—200.

De § 202—204 cf. § 202 *ἀλλ' ἔγωγε, εἰ μηδενὸς ἕνεκα τῶν ἄλλων, τῶν γε δημηγοριῶν .... τὴν μεγίστην ἂν αὐτὸν δικαίως οἶμαι δίκην δοῦναι.* § 204 *τοιοῦτος γὰρ εἶ, Μειδία .... εἶτα θαυμάζεις εἰ κακὸς κακῶς ἀπολεῖ;*

De § 205—207 cf. § 206 *ἔτι τοίνυν παρῆν ... καὶ καθῆτο Εὔβουλος ἐν τῷ θεάτρῳ, ὅτε ὁ δῆμος κατεχειροτόνησε Μειδίου κ. τ. λ.*

De § 208—212 et § 213—218 iam supra (p. 13) monuimus.

De § 219—225 cf. § 221 *ὁρᾶτε δέ· αὐτίκα δὴ μάλα, ἐπειδὰν ἀναστῇ τὸ δικαστήριον κ. τ. λ.* § 222 *μηδαμῶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, κ. τ. λ.*

De § 226—227 cf. § 226 *ὑμῶν οἱ θεώμενοι τοῖς Διονυσίοις εἰσιόντα εἰς τὸ θέατρον τοῦτον ἐσυρίττετε καὶ ἐκλώζετε .... προυκαλεῖσθ' ἐπὶ τιμωρίαν τὸν παθόντα, ἐκροτεῖθ', ὅτε προυβαλόμην αὐτὸν ἐν τῷ δήμῳ·* § 227 *ἐπειδὴ δ' ἐξελήλεγκται καὶ προκατέγνωκεν ὁ δῆμος τούτου .... καὶ δικάσοντες εἰλήχατε ...., νῦν ὀκνήσετε ἐμοὶ βοηθῆσαι κ. τ. λ.*

Apparet igitur duos tantum locos eosque brevissimos, § 184—185 et § 189—190, in ea oratione collocari potuisse quae ut in probolae actione haberetur destinata esset. Eos autem revera ex tali oratione depromptos esse neque demonstrari neque, cum reliqua omnia orationis iudiciariae sint, credi potest. Itaque Wachendorfii sententiam non solum argumentis esse destitutam, sed ne posse quidem veram esse perspicuum est.

Iam videamus quibus rebus Esius hanc orationem ex scidulis a Demosthene conscriptis a librario aliquo conglutinatam esse osten-

dere conetur. Duo eius argumenta iam supra (p. 11—13) ubi de iis quae Wachendorfius coniecit verba fecimus inanes esse cognovimus, et ne ea quidem quae praeterea profert multum ad eius sententiam confirmandam valent.

Ac primum quidem ille contendit non concinere inter se quae § 20 et quae § 23 legantur. § 19 et 20 enim verbis *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας παμπληθεῖς αὐτοῦ καὶ ὕβρεις εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μιαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινὰ ἐφ᾽ οἷς τῶν πεπονθότων οἱ μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καταδείσαντες τοῦτον καὶ τὸ τούτου θράσος καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑταίρους καὶ πλοῦτον καὶ τἄλλα δὴ ὅσα πρόσεστι τούτῳ, ἡσυχίαν ἔσχον, οἱ δ᾽ ἐπιχειρήσαντες δίκην λαμβάνειν οὐκ ἐδυνήθησαν, εἰσὶ δ᾽ οἳ διελύσαντο, ἴσως λυσιτελεῖν ἡγούμενοι* tria eorum genera enumerari qui a Midia laesi sint: alios timore et metu ipsius et amicorum audaciae commotos silentium agere maluisse, alios actione instituta litem obtinere non potuisse, tertiam autem genus esse eorum qui commodi sui causa cum eo in gratiam redierint; § 23 autem verbis *πολλὰ μὲν τοίνυν . . . . καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν . . . . ἦν δὲ ἡ συλλογὴ ῥᾳδία· αὐτοὶ γὰρ οἱ πεπονθότες προσῄσάν μοι* dicere eum iniurias a Midia aliis civibus illatas facile colligere se potuisse, cum ipsi ii qui violati essent ad se venissent. Inter eos autem qui sua sponte Demosthenem adierint illos homines tertio loco commemoratos esse non posse. Sed primum ii qui a Midia laesi cum eo postea gratiam reconciliaverunt (*διελύσαντο*) utilius id esse rati cur Demostheni ea quae a Midia passi essent nuntiare non potuerint non prorsus liquet. Id quidem concedendum est eos qui reo vere amici essent illud facturos fuisse verisimile non esse; sed ii qui ab illo iniuria quondam affecti commodi causa cum eo in gratiam redierant certe non ex animi sententia eius amici erant, neque pro certo negari potest eos, si quando facultas data esset intolerabilis illius quam Midias assecutus erat potentiae evertendae, quantum possent, pro sua parte operam dedisse ut ille iusta poena afficeretur. Quod nobis non iam mirum videbitur, si § 198 spectaverimus, ubi leguntur haec: *ἐμοὶ μὲν νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Ἀθηνᾶν (εἰρήσεται γάρ, εἴτ᾽ ἄμεινον εἴτε μή), ὅθ᾽ οὗτος ὡς ἀπήλλαγμαι περιιὼν ἐλογοποίει, ἔνδηλοί τινες ἦσαν ἀχθόμενοι τῶν πάνυ τούτῳ λαλούντων ἡδέως. καὶ νὴ Δία αὐτοῖς πολλὴ συγ-*

γνώμῃ· οὐ γάρ ἐστι φορητὸς ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ πλουτεῖ μόνος καὶ λέγειν δύναται μόνος καὶ πάντες εἰσὶ τούτῳ καθάρματα καὶ πτωχοὶ καὶ οὐδ' ἄνθρωποι. Itaque si nonnulli ex iis qui cum eo libentissime (*πάνυ ἡδέως*) confabulabantur quod Demosthenes eum dimisisset graviter ferebant, certe mirum non est, si ii qui a Midia violati gratiam cum eo reconciliaverant postea, cum sine ipsorum periculo ac detrimento fieri posse videretur, illius in se maleficia ad Demosthenem, a quo illum propter grave facinus reum agi sciebant, detulerunt, ut accusationis vis augeretur. Fac autem nihilominus hoc credi non posse, tamen ea quam Esius statuit difficultas non inest in illis verbis. Primum enim orator dicere poterat *αὐτοὶ γὰρ οἱ πεπονθότες προσῇσάν μοι* non solum si omnes qui a Midia laesi erant iniurias ab illo sibi illatas ad eum detulerunt, sed etiam si maior pars eorum eum adierant; notum enim est oratores omnibus rebus quantum possunt in suum commodum uti et omnia quam maxime licet exaggerare. Tum verba *αὐτοὶ γὰρ οἱ πεπονθότες προσῇσάν μοι* ad § 20 spectare mihi prorsus non videntur, sed ad ea quae proxime antecedunt § 23 verba *καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας τοσαύτας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα.* Ad quae si referuntur illa, omnia plana sunt atque apta; apparet enim tum eos ad Demosthenem venisse qui iniurias verbis *καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας τοσαύτας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα* significatas passi essent. Inter quos etiam illos homines in § 20 tertio loco commemoratos esse nullo verbo indicatur. Itaque haec Esii offensio nulla est.

Tum dicit Esius [1]) nonnullis huius orationis locis (§ 20, 151, 215) sic loqui Demosthenem ut de reconciliatione cum Midia ineunda eum non cogitasse cognoscatur, cum vehementer in eos invehatur qui a reo aliquando iniuria affecti cum eo postea in gratiam redierint, aliis (§ 23 et 137) sic ut a reconciliatione haud ita alienus esse videatur. Itaque diversis temporibus eas partes esse conscriptas et notandam esse socordiam eius qui neglegenter illas scidulas in unam orationem collegerit. Sed mihi in verbis ab illo allatis prorsus nihil videtur inesse quo diversis temporibus ea esse scripta eluceat. Suo quidem iure ille contendit § 151 et 215 eam habere

[1]) L. l. p. 24 et 26.

sententiam ut orator implacabili in Midiam odio impletus esse videatur, sed ex § 20 id non cognoscitur; ex altera parte neque § 23 neque § 137 exprimitur eum iram remisisse; his enim non vituperat quidem eos qui, quamvis a Midia vexati fuerint, tamen eius animum sibi reconciliaverint, sed ea re non indicatur id quod Esius vult, Demosthenis animum haud alienum fuisse a Midia sibi reconciliando, quoniam orator omnem reconciliationem se spernere prae se ferre non debebat. Neque revera ullo totius orationis loco, quantum scio, illos reprehendit. Nam quod Esius § 20 et 151 eum vehementer increpuisse dicit in illos, equidem omnino non video quibus verbis aut qua re ea vituperatio contineatur. Verba enim quae leguntur § 20: *ἔχω δὲ λέγειν . . . . καὶ δεινὰ ἐφ' οἷς τῶν πεπονθότων οἱ μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καταδείσαντες τοῦτον καὶ τὸ τούτου θράσος καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑταίρους καὶ πλοῦτον καὶ τἄλλα δὴ ὅσα πρόσεστι τούτῳ, ἡσυχίαν ἔσχον, οἱ δ' ἐπιχειρήσαντες δίκην λαμβάνειν οὐκ ἐδυνήθησαν, εἰσὶ δ' οἳ διελύσαντο, ἴσως λυσιτελεῖν ἡγούμενοι. τὴν μὲν οὖν ὑπὲρ αὑτῶν δίκην ἔχουσιν οἵ γε πεισθέντες· τῆς δ' ὑπὲρ τῶν νόμων, οὓς παραβὰς οὗτος κἀκείνους ἠδίκει καὶ νῦν ἐμὲ καὶ πάντας τοὺς ἄλλους, ὑμεῖς ἐστὲ κληρονόμοι* nihil opprobrii mihi videntur habere, et § 151 nihil narratur nisi aliquot homines Demosthenem adhortatos esse ut actionem institutam temere atque inutiliter persequi desisteret, neque quidquam vituperationis hic locus habet.

Praeterea Esius [1]) contendit § 143—150 neque cum superioribus neque cum sequentibus cohaerere, cum quid opus sit ea comparatione (scil. Midiae et Alcibiadis) post brevissimam quae praegressa sit refutationem (§ 141—142) haud perspicuum sit neque magis quae proxime sequantur cum illa parte cohaereant. Quod quamquam, ut postea videbimus, suo iure contendit, tamen ad eius sententiam comprobandam nihil valet; nam hanc particulam post § 170 sedem suam habere postea demonstrabitur.

Deinde offendit Esius [2]) in eo quod in hac oratione tribus locis atque iisdem verbis de Midiae divitiis disseratur: § 138 *τὸ γὰρ ἐπ' ἐξουσίας καὶ πλούτου πονηρὸν εἶναι καὶ ὑβριστὴν τεῖχός ἐστι πρὸς*

---

[1]) L. l. p. 37—38.
[2]) L. l. p. 38—39.

τὸ μηδὲν ἂν αὐτὸν ἐξ ἐπιδρομῆς παθεῖν, ἐπεὶ περιαιρεθεὶς οὗτος τὰ ὄντα ἴσως μὲν οὐκ ἂν ὑβρίζοι, εἰ δ᾽ ἄρα, ἐλάττονος ἄξιος ἔσται τοῦ μικροτάτου παρ᾽ ὑμῖν· μάτην γὰρ λοιδορήσεται καὶ βοήσεται, δίκην δ᾽, ἂν ἀσελγαίνῃ τι, τοῖς ἄλλοις ἡμῖν ἐξ ἴσου δώσει. — § 152 *ἐγὼ δὲ πρῶτον μὲν οὐδὲν ἀγεννὲς ὑμῶν καταγιγνώσκω, οὐδ᾽ ὑπολαμβάνω τιμήσειν οὐδενὸς ἐλάττονος τούτῳ ἢ ὅσον καταθεὶς οὗτος παύσεται τῆς ὕβρεως· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ μάλιστα μὲν θάνατος, εἰ δὲ μή, πάντα τὰ ὄντα ἀφελέσθαι.* § 211 *οὐδὲν δεινὸν οὐδ᾽ ἐλεεινὸν Μειδίας πείσεται, ἂν ἴσα κτήσηται τοῖς πολλοῖς ὑμῶν, οὓς νῦν ὑβρίζει καὶ πτωχοὺς ἀποκαλεῖ, ἃ δὲ νῦν περιόντ᾽ αὐτὸν ὑβρίζειν ἐπαίρει περιαιρεθῇ.* Sed non eadem his locis usurpari verba de Midiae divitiis et in tam diverso rerum contextu earum mentionem fieri ut nihil inutiliter repetatur facile perspicitur.

Item Esius [1]) ad suam opinionem probandam id affert quod hominum vivendi ratio duobus locis (§ 101 et 185) atque iisdem fere verbis cum erano comparatur. Sed haec difficultas Esii ratione non facilius explicatur quam si imperfectae orationis particulas quales ab oratore separatim scriptae et relictae erant sine tumultuaria illa librarii opera collectas esse statuamus.

Iniuria porro Esius [2]) contendit ea quae leguntur § 186 et quae inveniuntur § 199 non in eadem oratione locum habere posse, cum plane inter se contraria sint. Dicere enim, ait, oratorem § 186, postquam Midiam cum liberis lamentaturum esse protulerit, nonnihil de severitate poenae remitti licere, si Midias nunquam modeste, semper superbe se gesserit; postea autem § 199 eum e contrario affirmare Midiam comprimendum esse, quod omni tempore superbus fuerit. Quod igitur priore loco proponat ut excusationis causam idem altero loco esse causam adhortandi ut Midias quam severissime puniatur. Sed hoc verum non est. Neque enim dicit orator § 186, si Midias semper superbe, nunquam modeste se gesserit, aliquid de ira remitti decere, sed, si Midias, quod naturae suae necessitate omnino non possit moderatum se praebere, priore quoque vita pariter petulans et violentus fuerit, dignum eum esse cuius naturae et sorti aliquantum condonetur; § 199 autem Midiam

---

[1]) L. l. p. 40—41.
[2]) L. l. p. 42—44.

dignum esse qui condemnetur eo demonstratur quod quae sibi permissurus sit, si poenam evaserit, iis cognoscatur quae etiam post populi praeiudicium fecerit. Qua re cum priore loco pro condicione ponatur non posse eum sibi temperare per ipsius naturam, altero non fuisse eum modestum narratur, non eum non posse modestum esse. Itaque utroque loco res prorsus alia est.

Tum Esius[1]) vituperat quod inde a § 189—201 nova Midiae argumenta refutentur, quae a ceteris occupationibus (§ 26—35, 141—142) separata mire posita esse dicit inter eam partem qua agatur de rebus a Midiae argumentatione alienis et eam qua novum vitae eius illustrandae caput nobis proponatur. Sed haec temere dicta sunt. Primum enim non liquet cur § 36—41 non inter praesumptiones ille numeret, cum his quoque Midiae argumentum refelli perspicuum sit. Tum ratione et consilio anteoccupationes non uno, sed tribus diversis locis esse tractatas unusquisque qui res quales sint singulis locis diligenter consideraverit intelleget. Inde enim a § 24—41, i. e. statim post demonstrata ea delicta quae reus in Demosthenem choregum commiserat, ea argumenta reiciuntur quae ad facinora paulo antea convicta spectant; causa § 141—142 praesumpta ad Midiae in alios cives iniurias inde a § 128—140 narratas respicit; post totam autem Demosthenis argumentationem inde a § 189 ea refutantur quae Midiam eiusque amicos molituros esse exspectari potest, ut accusatio infringatur et poena imminens si non avertatur, at certe imminuatur. Illud autem Esii quod dicit has ultimas anteoccupationes (§ 189—201) mire esse positas eo quo legantur loco inane est. Nam etiam inde a § 151 Midiae argumenta refelli facile est ad intellegendum, et extendi illas praesumptiones usque ad § 225 postea explanabitur. Quod enim Esius § 202—204 novum Midiae vitae enarrandae caput contineri existimat, magnopere errat. Poterant ea quidem proferri ubi de reliqua rei vita agebatur (§ 128—142), sed cur hoc loco inveniantur eius rei causa in aperto est. Neque enim extra sententiarum cohaerentiam illa leguntur, sed apte adnectuntur accusationi qua Midias populum eiusque contionem criminaturus est inde a § 193 refutatae et imprimis iis quae § 200—201 de contempto ab eo populi

[1]) L. l. p. 40—45.

iudicio dicuntur, cum ad reiciendam futuram illam Midiae criminationem id quoque maxime pertineat quod § 202—204 exponitur, eum semper contra populum agere atque dicere solere, cum in rebus secundis non cum eo gaudeat, in rebus adversis ei maledicat.

Ne id quidem multum valet ad Esii sententiam confirmandam quod per totam orationem plurima quae ad reliquam Midiae vitam pertineant inveniri dicit.[1] Neque enim illa tam multa sunt quam Esius videtur putare; tum pleraque eoram cum reliqua rei vita coniungi vix poterant, cum delictum non continerent, velut quae leguntur § 149, 153 sq., 200; fere omnia autem illa ad sententiam aliquam illustrandam aut ad augendam enuntiati alicuius vim enarrantur, iniuria autem Stratoni illata (§ 83 sqq.) ita cum iis quae orator de ipsius cum Midia inimicitiis exposuit cohaeret ut aptissime iis adiungi potuerit.

Deinde Esius[2] Demosthenem neglegenter facturum fuisse existimat, si ea verba a quibus § 208—212 et § 213—218 incipiunt in una oratione conscripsisset, cum utraque parte idem quamvis diverso modo refellatur. Sed hac re, quamquam, ut iam supra audivimus, habet in quo offendas, Esii opinionem non demonstratur veram esse, cum non minus, si sine librarii illius opera ex partibus ab oratore separatim conscriptis haec oratio collecta sit, duplex illa refutatio facile explicetur.

Denique Esius ne perorationem quidem intemptatam reliquit. Per totam enim fere orationem, ait, Midiam increpari et scatere sermonem vehementissimis flagitationibus, velut § 12, 70, 118, 130, 152[3]; perorationem autem tantam spirare temperantiam ut cum acerba et iracunda oratione eam non concinere negari nequeat. Nam quid in ipsa peroratione Athenienses de Midia iudicare velit orator

---

1) L. l. p. 45.

2) L. l. p. 46—47.

3) § 12 *Μειδίας δ' ἐν αὐταῖς ταύταις ταῖς ἡμέραις ἄξια τοῦ δοῦναι τὴν ἐσχάτην δίκην ποιῶν δειχθήσεται.* § 70 *εἰ τοίνυν τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἄλλως πως ἔχει τὴν ὀργὴν ἐπὶ Μειδίαν ἢ ὡς δέον αὐτὸν τεθνάναι, οὐκ ὀρθῶς ἔχει.* § 118 *πῶς οὐ δεκάκις, μᾶλλον δὲ μυριάκις δίκαιός ἐστ' ἀπολωλέναι;* § 130 *τόπος οὐδείς ἐστιν ἐν ᾧ τοῦτον οὐ θανάτου πεποιηκότα ἄξια πολλὰ εὑρήσετε.* § 152 *οὐδ' ὑπολαμβάνω τιμήσειν οὐδενὸς ἐλάττονος τούτῳ ἢ ὅσον καταθεὶς οὗτος παύσεται τῆς ὕβρεως· τοῦτο δ' ἐστὶ μάλιστα μὲν θάνατος, εἰ δὲ μή, πάντα τὰ ὄντα ἀφελέσθαι.*

eum qui orationis extremam partem (§ 226—227) legerit sensurum esse se putare. Quam ob rem eam particulam non epilogum Midianae qualem nunc habeamus esse, sed orationis eius quam in Midiam aliquando habere in animo fuerit Demostheni. Sed illius epilogi verbis qua poena orator reum affici velit prorsus non indicatur; ne uno quidem verbo certa poena quae Midiae irroganda sit significatur, sed id unum diserte exprimitur, condemnent iudices reum iusta et sancta suffragia ferentes et puniant graviter, ita ut aliis fiat exemplo.[1]) Quae tam acria atque gravia sunt ut cum reliqua oratione magnam iram atque indignationem spirante satis concinant. Itaque non opus est cum Esio hunc epilogum alii orationi a Demosthene in Midiam conscriptae tribuere, quae sententia etiam per se ipsa minime est probanda. Illam enim perorationem in alia oratione usurpari non potuisse nisi qua de re huius orationis simillima ageretur ex ipsius verbis elucet. Itaque qui hanc Esii coniecturam admittit eum statuere necesse est Demosthemem aut aliam orationem de eadem Midiae causa composuisse eamque leniorem aut iterum simili modo a Midia violatum in ius eum vocavisse. Sed neutrum praeter Esii opinionem quidquam habet quo commendetur.

Itaque eas quas Esius ad suam sententiam confirmandam protulit causas partim nullas partim tam leves esse videmus ut parum valeant. Ipsum Esium non satis clare de tradita orationis forma cogitasse ex eo apparet quod non constat sibi eius de hac re iudicium. Nam cum p. 3 dicat oratorem hic illic quaedam conscripsisse quae ei aliquando in ea oratione ex usu essent futura, post mortem eius autem avidum aliquem librarium eas scidulas repperisse et in unam orationem conglutinasse, nonnullis aliis locis sic loquitur ut de duabus orationibus a Demosthene de hac re compositis videatur cogitasse. Velut p. 27 dicit: ʻQuae autem inde a

[1]) Cf. § 227 *ἐπειδὴ δ᾽ ἐξελήλεγκται καὶ προκατέγνωκεν ὁ δῆμος τούτου εἰς ἱερὸν καθεζόμενος . . . . καὶ πάντ᾽ ἐστὶν ἐν ὑμῖν μιᾷ ψήφῳ διαπράξασθαι, νῦν ὀκνήσετε ἐμοὶ βοηθῆσαι, τῷ δήμῳ χαρίσασθαι, τοὺς ἄλλους σωφρονίσαι, μετὰ πολλῆς ἀσφαλείας αὐτοὶ τὸ λοιπὸν διάγειν, παράδειγμα ποιήσαντες τοῦτον τοῖς ἄλλοις; πάντων οὖν ἕνεκα τῶν εἰρημένων, καὶ μάλιστα τοῦ θεοῦ χάριν περὶ οὗ τὴν ἑορτὴν ἀσεβῶν οὗτος ἥλωκε, τὴν ὁσίαν καὶ δικαίαν θέμενοι ψῆφον τιμωρήσασθε τοῦτον.*

§ 19 usque ad § 22 leguntur mihi scripta fuisse videntur in alia oratione' et p. 31 inveniuntur haec: 'Statuendum est igitur fragmento orationis quod incohatur inde a § 23 ab oratore locum adsignatum fuisse in altera redactione atque ea cuius nunc initium habemus § 1—8.'

Quoniam Wachendorfii opinionem prorsus reiciendam, Esii rationem firmis argumentis comprobatam non esse vidimus, iam quae de huius orationis dispositione iudicata sunt a viris doctis examinemus, ut secundum eam disputationem quid ipsi de orationis condicione ac dispositione existimemus exponamus.

Usque ad § 22, quod ad divisionem attineat, omnia recte se habere omnes consentiunt. § 1—8 *ἀναγνώσεται* exordium sunt, quae inde usque ad § 12 leguntur praeparationem (*προκατασκευήν*) continent, cum orator iis legitimam accusandi viam statim post iniuriam acceptam ingressum se esse exponat. Inde incipit totius rei narratio, quae usque ad § 18 percurrit; tum § 21 argumentationis partitio proponitur verbis *ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν ὅσα αὐτὸς ὑβρίσθην, ἔπειθ' ὅσα ὑμεῖς· μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βίον αὐτοῦ πάντα ἐξετάσω, καὶ δείξω πολλῶν θανάτων, οὐχ ἑνὸς ὄντα ἄξιον.* Post quae verba ipsa argumentatio incohatur, sed unum quod ad eam pertineat testimonium profertur, cetera omnia desunt. Quae utrum ab oratore non conscripta an omissa esse videantur postea considerabimus. Deinde videtur orator transire ad reliquam Midiae vitam examinandam § 23 verbis *πολλὰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν, ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου, καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας τοσαύτας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα*, sed verbis insequentibus *βούλομαι δὲ πρὸ τούτων εἰπεῖν οἷς ἐπιχειρήσειν αὐτὸν ἀκήκοα ἐξαπατᾶν ὑμᾶς κ. τ. λ.* antea ea se propositurum esse dicit quibus Midias iudices fallere conaturus sit. Iam refutantur nonnulla rei argumenta § 24—41, tum autem non, ut promissum est § 23, Midiae reliquae iniuriae enarrantur, sed sequuntur alia ab hac re alienissima § 42—127,[1]) et

[1]) Inde a § 42—50 de insolentiae (*ὕβρεως*) poena agitur, § 51—69 religionem laesam esse ostenditur, § 70—76 exempla superbiae graviter punitae proferuntur, § 77—125 quomodo illae inter Demosthenem et Midiam inimicitiae ortae sint quaeque praeterea reus in oratorem peccaverit explicatur, § 126—127

inde a § 128 demum reliqua rei vita explanatur. Quam ob rem Spengelius,[1]) praesertim cum orator in § 23 statim (*αὐτίκα δὴ μάλα*) ceteras Midiae iniurias illustraturum se esse promittat verbis *καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα*, § 23—41 post § 127 transponendas esse contendit. Sed hoc mihi non probatur. Nam illam causam quam Spengelius ex verbis *αὐτίκα δὴ μάλα* sumpsit nullam esse videbimus, si alios locos quibus verba *αὐτίκα δὴ μάλα* vel simplex vox *αὐτίκα* usurpantur spectaverimus. Iam Nitschius[2]) id non offendere ait, sed sicut § 19 verba *καὶ πολλ' ἕτερα, ὧν ὅσ' ἂν οἷόςτε ὦ διέξειμι πρὸς ὑμᾶς αὐτίκα δὴ μάλα*, quae ad § 102—125 referenda esse ipse Spengelius[3]) existimat, orationi incohatae condonandum esse, cum talia excidere possint in prima conscriptione, dum dispositio modo constituta in transitionibus partium informandis nimium valeat. Sed ne ea quidem interpretatione opus est. Nam voces *αὐτίκα* et *αὐτίκα δὴ μάλα* non semper valent 'statim', sed etiam 'mox' aeque ac nostrum 'gleich, nachher'. Quod verum esse non solum praeter illud exemplum a Nitschio prolatum tribus aliis huius orationis locis, sed etiam exemplis ex aliorum scriptorum operibus petitis comprobatur. Nam huius orationis § 169 verbis *εἰ τοίνυν ὡς ἀληθῶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οἷάπερ φήσει καὶ καταλαζονεύσεται πρὸς ὑμᾶς αὐτίκα δὴ μάλα κ. τ. λ.* res significantur non statim, sed aliquanto temporis intermisso futura, cum antea quae § 169—227 continentur a Demosthene proferenda sint. Deinde § 190 haec habemus: *ἀλλὰ τούτῳ πάντας αὐτίκα δὴ μάλα συνεξεταζομένους τοὺς ῥήτορας ὄψεσθ' ἐφεξῆς*, attamen, antequam oratores pro Midia dicant, et Demosthenes quae inde a § 190—227 leguntur prolaturus et Midias contra Demosthenem verba facturus est. Tum quod significatur § 221 verbis *ὁρᾶτε δέ· αὐτίκα δὴ μάλα ἐπειδὰν ἀναστῇ τὸ δικαστήριον, εἷς ἕκαστος ὑμῶν, ὁ μὲν θᾶττον ἴσως, ὁ δὲ σχολαίτερον οἴκαδ' ἄπεισιν κ. τ. λ.* non statim fit, sed post aliquantum

---

omnia Midiae facinora in deum et in Demosthenem commissa breviter comprehenduntur.

[1]) In Philolog. XVII p. 611.

[2]) De traiciendis partibus in Demosthenis orationibus. Diss. Berol. a. 1863 p. 81.

[3]) L. l.

demum temporis; nam antea Midias eiusque patroni dicturi et iudices suffragia de Midia laturi sunt. Praeterea de hac re conferas velim Herodoti l. VII 103: *ταῦτα ἀκούσας Ξέρξης γελάσας ἔφη· Δημάρατε, οἷον ἐφθέγξαο ἔπος, ἄνδρας χιλίους στρατιῇ τοσῇδε μαχέσεσθαι. ἄγε, εἰπέ μοι, σὺ φῄς τούτων τῶν ἀνδρῶν αὐτὸς βασιλεὺς γενέσθαι. σὺ ὦν ἐθελήσεις αὐτίκα μάλα πρὸς ἄνδρας δέκα μάχεσθαι;* Etiam simplicem vocem *αὐτίκα* eam quam modo statuimus notionem habere aliquot Platonis locis ostenditur. [1]) Quae cum ita sint in illis verbis prorsus haerendum non esse puto. Ceterum Nitschius, qui § 23—41 suum locum tenere et inde a § 23—127 recte se habere omnia confirmare studuit [2]), nihil profecit. Nam tantum abest ut in illa parte rerum contextus placeat ut compluribus locis iustum rerum ordinem desideremus. Neque enim primum ferri potest quod, ut supra (p. 27) audivimus, ea quae § 23 post Midiae argumenta § 25—41 refutata secutura esse promittitur multis atque alienissimis rebus interpositis inde a § 128 demum inveniuntur. Deinde quod § 31—35 praesumitur Midiae argumentum si non totum, at certe aliqua ex parte ad ea quae § 51—69 tractantur spectare videbis, si quae § 34—35 dicuntur cum illis comparaveris. Refellit enim hic orator illud quod Midias defensurus sit, unum Demosthenem per choregiam a se insolentia affectum esse, eo quod una secum cum totum Atheniensium populum tum deum violatum esse affirmat his potissimum verbis: *ἅμα γὰρ τῷ Δημοσθένει καὶ ὁ χορηγὸς ὑβρίζετο, τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τῆς πόλεως ὄνομα, καὶ ταύταις ταῖς ἡμέραις αἷς οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι. χρὴ δέ, ὅταν μὲν τιθῆσθε τοὺς νόμους, ὁποῖοί τινές εἰσι σκοπεῖν, ἐπειδὰν δὲ θῆσθε, φυλάττειν καὶ χρῆσθαι· καὶ γὰρ εὔορκα ταῦθ᾽ ὑμῖν ἐστι καὶ ἄλλως δίκαια. ἦν ὁ τῆς βλάβης ὑμῖν νόμος πάλαι, ἦν ὁ τῆς*

---

1) Cf. Gorg. 459 C *εἰ μὲν ἐλαττοῦται ἢ μὴ ἐλαττοῦται ὁ ῥήτωρ τῶν ἄλλων διὰ τὸ οὕτως ἔχειν, αὐτίκα ἐπισκεψόμεθα, ἐάν τι ὑμῖν πρὸς λόγου ᾖ· νῦν δὲ τόδε πρότερον σκεψόμεθα, ἆρα τυγχάνει περὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ καλὸν κ. τ. λ.* Symp. 175 B *καὶ ὃς ἔφη εἰπεῖν μηδαμῶς, ἀλλ᾽ ἐᾶτε· ἔθος γάρ τι τοῦτ᾽ ἔχει· ἐνίοτε ἀποστάς, ὅποι ἂν τύχῃ, ἕστηκεν· ἥξει δὲ αὐτίκα, ὡς ἐγὼ οἶμαι. μὴ οὖν κινεῖτε, ἀλλ᾽ ἐᾶτε.* De republ. 420 C *νῦν μὲν οὖν, ὡς οἰόμεθα, τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν οὐκ ἀπολαβόντες, ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς τιθέντες, ἀλλ᾽ ὅλην· αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα.*

2) L. l. p. 74—81.

αἰκίας, ἣν ὁ τῆς ὕβρεως. εἰ τοίνυν ἀπέχρη τοὺς τοῖς Διονυσίοις τι ποιοῦντας τούτων κατὰ τούτους τοὺς νόμους δίκην διδόναι, οὐδὲν ἂν προσέδει τοῦδε τοῦ νόμου. ἀλλ' οὐκ ἀπέχρη. σημεῖον δέ· ἔθεσθε ἱερὸν νόμον αὐτῷ τῷ θεῷ περὶ τῆς ἱερομηνίας. εἴ τις οὖν κἀκείνοις τοῖς προϋπάρχουσι νόμοις καὶ τούτῳ τῷ μετ' ἐκείνους τεθέντι καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς ἔστ' ἔνοχος, ὁ τοιοῦτος πότερα μὴ δῷ διὰ τοῦτο δίκην ἢ κἂν μείζω δοίη δικαίως; ἐγὼ μὲν οἶμαι μείζω. In religionis autem laesae crimen Midias inde a § 51—69 vocatur; itaque praesumptio eodem maximam partem pertinens locum non habet nisi post § 51—69.

Tum quae leguntur § 70—76 ad eam partem pertinere qua agitur de Midia propter insolentiam Demostheni illatam puniendo (§ 42—50) tota eorum ratione evincitur. Dirimuntur autem haec de rei poena verba (§ 42—50 et § 70—76) iis quibus illa Midiae superbia die festo in Demosthenem commissa deum quoque laesum esse ostenditur (§ 51—69).

Praeterea etiam deest post § 69 insignis argumentationis pars. Nam apertum est in oratione perfecta illud caput abesse non debere quo quemadmodum propter diei festi violationem in Midiam animadvertendum sit explanetur, cum ille, ut postea demonstrabitur, religionis laesae potissimum reus sit. Hanc autem partem post § 51—69 sedem suam habere consentaneum est. Ex qua re etiam § 42—50 post § 69 ponendas fuisse consequitur. Vix enim credi potest oratorem pro diversa *ὕβρεως* et *ἀσεβείας* natura diversis locis de earum poena disserere voluisse; immo verisimile est eum uno loco ea argumenta cumulaturum fuisse quibus Midiam gravissimo supplicio dignum esse ostenderet, cum ita multo efficacior atque gravior futura esset eius de hac re explicatio. Itaque totum de poena caput post totam criminum demonstrationem oratorem positurum fuisse verisimile est. Ex quibus omnibus rebus Nitschium falsa contendere apparet. Spengelio, quamquam alteram eius causam ex § 23 verbis *ὅσα ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα* petitam nullam esse vidimus, concedendum est § 23—41 post § 127 locum suum habere; sed eum valde errare in ea re quod § 23—41 post § 127 transpositis inde a § 42—127 omnia plana esse existimat tribus ultimis causis quibus Nitschii sententiam refellimus comprobatur.

Blassius[1]), qui Nitschio, quod ad rerum ordinem attineat, assentitur, ea quae a § 22 *λέγε μοι τὴν κ. τ. λ.* usque ad § 127 inveniuntur duas orationis partes esse arbitratur, quarum altera usque ad § 76 pertineat, cum altera reliquae Midiae in Demosthenem iniuriae (§ 77—127) comprehendantur. Quantum argumenti ab oratore § 21 dispositi priore illa parte contineatur ex ipsius verbis non intellegitur. Sed quomodocunque se res habet, apertum est Blassii divisionem non sufficere ad oratoris consilium § 21 prolatum, cum neque secunda Blassii pars ibi exstet neque secunda dispositionis ab oratore factae pars verbis *ἔπειθ' ὅσα ὑμεῖς* (scil. *ὑβρίσθητε*) indicata apud Blassium inveniatur. Quod vero ei qui hanc orationem disponat ipsam potissimum considerandam esse dicit[2]), non rerum ordinem § 21 significatum, mirum est. Nam utique necesse esset ordinem propositum aut ab ipso Demosthene relictum aut ab interpolatore aliquo corruptum esse. Sed prius ne cogitare quidem licet, nisi oratorem sibi ipsi quodammodo repugnantem facere velimus; alterum non magis verisimile est, cum qua re quisquam commotus sit ut illam distributionem ita interpolaret ut a dispositione in ipsa oratione adhibita discreparet nequaquam sit perspicuum. Praeterea Blassii sententia eo revocanda est quod res § 23—127 explicatas satis planas esse atque satis apte inter se cohaerere putat. Id falsum esse iam supra, cum de Nitschii et Spengelii sententia iudicium faceremus, satis demonstratum est.

Non magis Schaeferi distributio placet. Qui totam argumentationem ex tribus partibus constare contendit[3]), quarum prima ipsam accusationem complectens usque ad § 127 extendatur, secunda § 128—130 contineatur, tertia inde a § 131 usque ad § 174 continuetur. Qua partitione num rerum ordinem § 21 discriptum reddere velit ex ipsius verbis non patet. Sed licet voluerit, propositum non assecutus est. Altera enim eius parte (§ 128—130) ea quae orator § 21 verbis *ὅσα ὑμεῖς* (scil. *ὑβρίσθητε*) indicat explicaretur et tertia (§ 131—174) reliqua Midiae vita contineretur. Sed ad

[1]) L. l. p. 292.
[2]) L. l. p. 294 adn. 3.
[3]) L. l. p. 62.

reliquam Midiae vitam ea quae inde a § 128—130 leguntur pertinere apparet ex his § 129 sq. verbis: *νυνὶ δὲ τοσαῦτ' ἐστὶ τἆλλα ἃ πολλοὺς ὑμῶν ἠδίκηκε καὶ τοιαῦτα ὥστε τούτου μὲν τοῦ δέους ἀπήλλαγμαι, φοβοῦμαι δὲ πάλιν τοὐναντίον μή, ἐπειδὰν πολλὰ καὶ δεινὰ ἑτέρους ἀκούηθ' ὑπ' αὐτοῦ πεπονθότας, τοιοῦτός τις ὑμῖν λογισμὸς ἐμπέσῃ "τί οὖν .... ἀγανακτεῖς" .... ἃ δ' ἐστὶ μέγιστα καὶ φανερώτατα ταῦτ' ἐρῶ. μᾶλλον δ' ἐκεῖνο ποιήσω· ἀναγνώσομαι μὲν ὑμῖν ὡς ἐμαυτῷ γέγραμμαι πάντα τὰ ὑπομνήματα .... ἔστι δὲ ταῦτα παντοδαπά, καὶ ὕβρεις πολλαὶ καὶ περὶ τοὺς οἰκείους κακουργήματα καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ἀσεβήματα, καὶ τόπος οὐδείς ἐστιν ἐν ᾧ τοῦτον οὐ θανάτου πεποιηκότα ἄξια πολλὰ εὑρήσετε* et ex § 131 initio *ὅσα μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, τὸν ἀεὶ προστυχόντ' αὐτῷ πεποίηκε, ταῦτ' ἐστίν.* Sin autem Schaefer dispositionem ab ipso oratore § 21 propositam non secutus est, propter id ipsum eius divisio reicienda est. Deinde ea quae Schaefer tertiae parti tribuit una comprehendi omnino non possunt, cum admodum diversa sint neque communis cuiusdam argumenti vinculo in unum coniungantur. Quod verum esse ut perspiciatur quae ibi dicuntur enarrabo. Inde a § 131—135 quam Midias equitibus Atheniensibus intulerit contumeliam exponitur; § 136—140 item ad reliquam rei vitam pertinere postea videbimus; § 141—142 illud quod Midias excusaturus sit, cur ii qui praeter Demosthenem a se laesi sint se non in ius vocaverint, praesumitur. Deinde vero quae sequuntur a superioribus prorsus diversa sunt. § 143—150 enim Midias componitur cum Alcibiade, in quem, quamquam et generis nobilitate et multis in populum meritis illum longe superaverit et multo leviora illo perpetraverit, tamen gravissime animadversum sit. Tum § 151—170 de Midiae liturgiis agitur, quibus iactandis eum ut absolvatur efficere velle orator prodit. Quod ne ille assequatur Demosthenes eius liturgias cum suis conferens ostendit multo plura pro republica illum facere et potuisse et debuisse. Postremo § 171—174 explicatur eorum quae revera pro civitate ille fecerit gratiam tam magnam ei esse relatam ut ei praeterea poenam condonare non liceat, si alios iniuriis afficiat. Haec omnia tam varia esse ut una parte comprehendi non possint in aperto est. Accedit quod Schaefer non vidit inde a § 23—127, ut supra (p. 29—30) cognovimus, rerum ordinem

magnopere perturbatum esse. Quae cum ita sint, etiam Schaeferi rationem omnino improbandam esse apparet.

Inde a § 128 novam incipere partem inter omnes constat, quousque autem percurrat adhuc dissentiunt viri docti. Qua de re cum Schaeferi sententiam improbandam esse iam supra audiverimus, restat ut quae scholiasta, Nitschius, Blassius de ea re iudicaverint contemplemur. Scholiasta quaecunque inde a § 128 leguntur epilogo tribuenda esse contendit. Sed hoc probari nullo modo potest. Nam quae proferuntur § 128 et proxime sequentibus ad reliquae rei vitae enarrationem spectare in aperto est. Hanc autem propriam orationis partem esse ex § 21 verbis *ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν .... μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βίον αὐτοῦ πάντα ἐξετάσω κ. τ. λ.* dilucidissime apparet. Itaque, cum reliqua oratione de Midiae vita non agatur, illa scholiastae opinio reicienda est.

Nitschius [1]) incipere epilogum dicit a § 151. Itaque, cum § 143—150 post § 170 transponendas esse existimet, dubium non est quin illam de reliqua Midiae vita partem quam a § 128 incipere apparet usque ad § 142 extendi persuasum habeat. Blassius [2]) epilogum a § 136 incohare, § 141—142 autem ad reliquam rei vitam pertinere censet. Itaque inter eos id unum in hac re controversum est, utrum § 136—140 eorum quae Midias in alios peccavit descriptioni an perorationi tribuendae sint. [3]) Quam ob rem, cum neuter sententiam suam argumentis confirmaverit, iam quae contineantur illa particula videamus, cum ita rem discerni manifestum sit. Dicit orator § 136—141 reliquos reos unius vel duorum accusari scelerum et huiusmodi excusationes iis abunde suppetere: ‘quis vestrum talis noxae mihi conscius est, quis haec me facere vidit? Non ita se res habet, falsis testimoniis opprimor’; illi autem nihil eiusmodi praesto esse; omnes enim novisse vitae eius protervitatem atque insolentiam et certe nonnullos mirari quod quae ipsi sciant eius scelera iam non a se audiverint. Multos autem eorum qui iniuria ab illo affecti sint non omnia testari velle eius

[1]) L. l. p. 81 extr.

[2]) L. l. p. 295.

[3]) Num reliqua orationis pars revera epilogus esse videatur, de qua re quid iudicandum sit hic nihil refert, postea pervestigabimus.

violentiam et opes timentes. Nam si quis licentia atque divitiis pollens malus sit et petulans, ea ipsa re poenam eum effugere, cum divitiis privatus non iam impune iniuriosus sit futurus. Iam vero, cum dives sit, pro eo pugnare Polyeuctum, Timocratem, Euctemonem et praeterea eum secum habere constitutam sodalitatem tacito nutu mendacia facillime comprobantium. Quae omnia cum timenda sint unicuique civium, inter se iungantur ut quibus singuli inferiores sint sive amicis sive opibus sive alia re unitis viribus superiores fiant superbiamque coerceant. Hoc cum sit huius particulae, de qua Nitschiūs et Blassius inter se dissentiunt, argumentum, in ea nihil videtur inesse quod ad reliquam Midiae vitam non pertineat. Nam toto hoc loco de iniuriis sermo est quas multas Midias in multos cives palam commiserit violentia et divitiis confisus, quibus his terrorem iniecerit et multorum amicorum patrocinium sibi comparaverit. Itaque iudices admonentur ut, cum otium et tranquillitatem amans unusquisque studium et potentiam amicorum pro illo intercedentium timeat, coniuncti illam insolentiam, qua totam eius vitam infamem esse modo expositum sit, coerceant. Totum autem hoc caput brevi refutatione eorum concluditur quibus quispiam Midiae maleficia per reliquam vitam commissa defensurus esse videatur (§ 141—142). Quae cum ita sint, quaecunque § 136—140 continentur ei parti qua de reliqua rei vita agitur adiungenda esse existimo, quam, cum § 141 et 142 eodem spectare antea viderimus, § 142 finiri iam exploratum habemus.

Sed ne ea quidem quae inde a § 143 leguntur epilogo tribuenda sunt. Nam si attente ea spectaveris, pleraque proferri intelleges ad ea refutanda quae Midias eiusque amici ut poena avertatur dicturi vel facturi sint. § 151—174 enim Demosthenes impedire studet ne reus liturgiis iactandis poenam effugiat, cum quo capite etiam verba § 143—150, ubi Midias cum Alcibiade comparatur, coniungenda esse postea videbimus; § 186—188 orator prohibere studet ne per liberos rei misericordia iudicum commoveatur; § 189—190 Midiae in Demosthenem oratorem invectio redarguitur; § 191—192 illud reicitur quod reus ut totam accusationem infringat defensurus est, omnia Demosthenem antea excogitasse atque praeparavisse; § 193—204 Midiae in populi contionem accusatio ad irritum redigitur;

inde a § 205 ea quibus Midiae amici, primum Eubulus (§ 205—207), tum (208—225) ceteri divites eius sodales, velut Philippides, Mnesarchides, Diotimus, alii, ei patrocinaturi sint praesumuntur. Ad quorum ultimum caput etiam ea pertinere quae § 219—225 leguntur statim perspicies, si verba § 213 *ὑμεῖς ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῶν νόμων καὶ ἐμοῦ τοῦ ἐφ' ὑμᾶς καταπεφευγότος σπουδάσατε* comparaveris cum § 219 sq. *ἔτι δὲ οὐκ ἐμὲ ἔτυπτεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον οὗτος οὐδ' ὕβριζε τῇ διανοίᾳ τότε ποιῶν οἷα ἐποίει, ἀλλὰ πάντας ὅσους περ ἂν οἴηταί τις ἧττον ἐμοῦ δύνασθαι δίκην ὑπὲρ αὑτῶν λαβεῖν .... ἀλλ' ὅταν εἷς ὁ παθὼν μὴ λάβῃ δίκην, τόθ' ἕκαστον αὐτὸν χρὴ προσδοκᾶν τὸν πρῶτον μετὰ ταῦτ' ἀδικησόμενον γενήσεσθαι, καὶ μὴ παρορᾶν τὰ τοιαῦτα, μηδ' ἐφ' ἑαυτὸν ἐλθεῖν περιμένειν, ἀλλ' ὡς ἐκ πλείστου φυλάττεσθαι .... καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο εἰ θέλοιτε σκοπεῖν καὶ ζητεῖν, τῷ ποτ' εἰσὶν ὑμῶν οἱ ἀεὶ δικάζοντες ἰσχυροὶ καὶ κύριοι τῶν ἐν τῇ π'λει πάντων, ... εὕροιτ' ἂν οὔτε τῷ τὰ σώματ' ἄριστα ἔχειν ...., ἀλλὰ τῇ τῶν νόμων ἰσχύϊ .... τίς οὖν ἡ δύναμις αὐτῶν* (scil. *τῶν νόμων*) *ἐστιν; ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς καὶ παρέχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ .... δεῖ τοίνυν τούτοις βοηθεῖν ὁμοίως ὥσπερ ἂν αὑτῷ τις ἀδικουμένῳ καὶ τὰ τῶν νόμων ἀδικήματα κοινὰ νομίζειν, ἐφ' ὅτου περ ἂν λαμβάνηται, καὶ μήτε λειτουργίας μήτ' ἔλεον μήτ' ἄνδρα μηδένα μήτε τέχνην μηδεμίαν εὑρῆσθαι μήτ' ἄλλο μηδὲν δι' ὅτου παραβάς τις τοὺς νόμους οὐ δώσει δίκην.* Nam primo obtutu cernitur hoc loco fusius explicari qua ratione, id quod § 213 facere iubentur, pro se ipsis et legibus iudices operam impendere debeant. Itaque cum, si excipias § 175—185 et § 226—227, quaecunque inde a § 143 inveniuntur refutationi tribuenda sint, mihi prorsus verisimile videtur esse hanc propriam orationis partem praeter epilogum esse habendam.

Quoniam adhuc neminem de huius orationis condicione ac dispositione ita iudicasse ostendimus ut in eius sententia sine ulla dubitatione acquiescendum sit, iam quid de ea iudicandum esse videatur quaeramus. Atque inde proficiscendum existimo ut quae sit causa huius orationis pervestigemus, cum illius natura ad iudicium de argumentationis dispositione ferendum plurimum valeat. C. Fr. Hermannus [1]) igitur, cui assentiuntur Nitschius et Schaefer, com-

[1]) In ind. lect. Goetting. a. 1847—48 p. 6 sqq.

pluribus huius orationis locis adductus est, ut Midiam insolentiae (ὕβρεως) a Demosthene in ius vocatum esse statueret. Sed Blassius [1]) religionis laesae (ἀσεβείας) crimen illi intentum esse suo iure affirmat. Nam quamquam compluribus locis [2]) effici videtur Midiam

---

[1]) L. l. p. 290 adn. 2.

[2]) § 1 sq. *ἐγὼ δ', ὅπερ ἂν καὶ ὑμῶν ἕκαστος ὑβρισθεὶς προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα .... ἐπειδὴ δὲ .... ὁ δῆμος ἅπας οὕτως ὠργίσθη καὶ παρωξύνθη καὶ σφόδρα ἐσπούδασεν ἐφ' οἷς ἠδικημένῳ μοι συνῄδει .... πολλοί μοι προσιόντες .... ἠξίουν καὶ παρεκελεύοντο ἐπεξελθεῖν καὶ παραδοῦναι τοῦτον εἰς ὑμᾶς, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, δι' ἀμφότερ' .... καὶ δεινὰ πεπονθέναι νομίζοντες ἐμὲ κ. τ. λ.*, quibus verbis orator videtur significare non tam religione laesa quam iniuria ipsi illata et se ut Midiam accusaret et multos cives ut poenas de Midia sumendas esse censerent commotos esse; deinde § 7 verba *καὶ γὰρ οὕτω πως ἔχει, ... ὕβρισμαι μὲν ἐγὼ καὶ προπηλάκισται τὸ σῶμα τοὐμὸν τότε, ἀγωνιεῖται δὲ καὶ κριθήσεται τὸ πρᾶγμα νυνὶ πότερον ἐξεῖναι δεῖ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν καὶ εἰς τὸν τυχόνθ' ὑμῶν ἀδεῶς ὑβρίζειν ἢ μή κ. τ. λ.*; tum § 92 *καίτοι εἰ παρὰ τῶν ἐρημον καταδιαιτησάντων αὐτοῦ τηλικαύτην δίκην οὗτος ἀξιοῖ λαμβάνειν, τίν' ὑμῖν προσήκει παρὰ τούτου λαβεῖν τοῦ φανερῶς τοὺς ὑμετέρους νόμους ἐφ' ὕβρει παραβαίνοντος; εἰ γὰρ ἀτιμία καὶ νόμων καὶ δικῶν καὶ πάντων στέρησις ἐκείνου τἀδικήματος προσήκουσά ἐστι δίκη, τῆς γε ὕβρεως μικρὰ θάνατος φαίνεται;* § 97 *εἶθ' ὑμεῖς τὸν οὕτως ὠμόν, τὸν οὕτως ἀγνώμονα, τὸν τηλικαύτας δίκας λαμβάνοντα ὧν αὐτὸς ἠδικῆσθαι φησὶ μόνον (οὐ γὰρ ἠδίκητό γε), τοῦτον ὑβρίζοντα λαβόντες εἴς τινα τῶν πολιτῶν ἀφήσετε, κ. τ. λ.* § 105 sq. *ἀλλ' οὐδὲ πρὸς οὓς ἔλεγεν αὐτοὺς ᾐσχύνθη .... ἀλλ' ἕνα ὅρον θέμενος παντὶ τρόπῳ με ἀνελεῖν οὐδὲν ἐλλείπειν ᾤετο δεῖν, ὡς δέον, εἴ τις ὑβρισθεὶς ὑπὸ τούτου δίκης ἀξιοῖ τυχεῖν καὶ μὴ σιωπᾷ, τοῦτον ἐξόριστον ἀνῃρῆσθαι .... καίτοι ταῦθ' ὅταν ἐξελεγχθῇ ποιῶν πρὸς οἷς ὕβριζέ με χορηγοῦντα, τίνος συγγνώμης ἢ τίνος ἐλέου δικαίως τεύξεται παρ' ὑμῶν; .... εἰ γάρ, ἐάν τις παρὰ πάντας τοὺς νόμους ὑβρισθεὶς ὑπὸ Μειδίου βοηθεῖν αὑτῷ πειρᾶται, ταῦτα καὶ τοιαῦθ' ἕτερ' αὐτῷ παθεῖν ὑπάρξει, προσκυνεῖν τοὺς ὑβρίζοντας ὥσπερ ἐν τοῖς βαρβάροις, οὐκ ἀμύνεσθαι κράτιστον ἔσται.* § 160 *εἰ μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φιλοτιμίας ἕνεκα ταύτην* (scil. *τὴν τριήρη*) *ἐπέδωκεν, ἣν προσήκει τῶν τοιούτων ἔχειν χάριν, ταύτην ἔχετε αὐτῷ* (scil. *Μειδίᾳ*) *καὶ ἀπόδοτε, ὑβρίζειν δὲ μὴ δῶτε·* § 170 *ἀλλ' ὅμως οὐδενὶ πώποτε τούτων δεδώκατε τὴν δωρεὰν ταύτην οὐδ' ἂν δοίητε, ἐξεῖναι τοὺς ἰδίους ἐχθροὺς ὑβρίζειν αὐτῶν ἑκάστῳ, ὁπότ' ἂν βούληται καὶ ὃν ἂν δύνηται τρόπον.* § 207, ubi de Eubulo pro Midia oraturo haec dicuntur: *μὴ γὰρ ἔστω μηδεὶς ἐν δημοκρατίᾳ τηλικοῦτος ὥστε συνειπὼν τὸν μὲν ὑβρίσθαι, τὸν δὲ μὴ δοῦναι δίκην ποιῆσαι.* § 216 *ἐπειδὴ δὲ κεχειροτόνηται μὲν ὕβρις τὸ πρᾶγμα εἶναι, ἐν ἱερῷ δ' οἱ ταῦτα κρίνοντες καθεζόμενοι διέγνωσαν, διέμεινα δ' ἐγὼ καὶ οὐ προὔδωκα οὔθ' ὑμᾶς οὔτ' ἐμαυτόν, τηνικαῦτ' ἀποψηφιεῖσθε ὑμεῖς.* Postremo tamen loco verba *ὕβρις τὸ πρᾶγμα εἶναι* valde suspecta sunt, cum ceteris huius orationis locis ubi haec probola in Midiam instituta com-

insolentiae in Demosthenem commissae reum fuisse [1]), tamen ex § 6 verbis ἣν ὑπὲρ τούτων ἀγανακτήσας καὶ συνοργισθεὶς καταχειροτονίαν ὁ δῆμος ἐποιήσατο, ταύτην εἰσέρχομαι κ.τ.λ. iisque quae § 25 sq. leguntur ἔστι δὲ πρῶτον μὲν ἐκεῖνο οὐκ ἄδηλος ἐρῶν .... ὡς .... δίκας ἰδίας μοι προσῆκεν αὐτῷ λαχεῖν, τῶν μὲν ἱματίων καὶ τῶν χρυσῶν στεφάνων τῆς διαφθορᾶς καὶ τῆς περὶ τὸν χορὸν πάσης ἐπηρείας, βλάβης, ὧν δ' εἰς τὸ σῶμα ὑβρίσθαι φημί, ὕβρεως, οὐ μὰ Δί' οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. ἐγὼ δὲ ἓν μὲν ἐκεῖνο εὖ οἶδα, καὶ ὑμᾶς δὲ εἰδέναι χρή, ὅτι εἰ μὴ προυβαλόμην αὐτόν, ἀλλ' ἐδικαζόμην, οὑναντίος ἧκεν ἂν εὐθύς μοι λόγος ὡς, εἴπερ ἦν τι τούτων ἀληθές, προβαλέσθαι μ' ἔδει καὶ παρ' αὐτὰ τἀδικήματα τὴν τιμωρίαν ποιεῖσθαι· ὅ τε γὰρ χορὸς ἦν τῆς πόλεως, ἥ τε ἐσθὴς τῆς ἑορτῆς ἕνεκα πᾶσα παρεσκεύαστο, ἐγώ τε ὁ πεπονθὼς ταῦτα χορηγὸς ἦν· τίς ἂν οὖν ἑτέραν εἵλετο τιμωρίαν ἢ τὴν ἐκ τοῦ νόμου κατὰ τῶν περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικούντων οὖσαν; ταῦτ' εὖ οἶδ' ὅτι πάντ' ἂν ἔλεγεν οὗτος τότε collatis cum § 28 μὴ δὴ τοῦτο λέγειν αὐτὸν ἐᾶτε, ὅτι καὶ δίκας ἰδίας δίδωσιν ὁ νόμος μοι καὶ γραφὴν ὕβρεως· δίδωσι γάρ· ἀλλ' ὡς οὐ πεποίηκεν ἃ κατηγόρηκα, ἢ πεποιηκὼς οὐ περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικεῖ, τοῦτο δεικνύτω· τοῦτο γὰρ αὐτὸν ἐγὼ προυβαλόμην, καὶ περὶ τούτου τὴν ψῆφον οἴσετε νῦν ὑμεῖς, deinde ex § 40 πᾶν γὰρ τοὐναντίον ἐκείνοις αὐτὸς μὲν οὔτε λαβὼν οὐδὲν οὔτ' ἐπιχειρήσας λαβεῖν φανήσομαι, τὴν δ' ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τὴν ὑπὲρ τοῦ θεοῦ καὶ τὴν ὑπὲρ ὑμῶν τιμωρίαν δικαίως φυλάξας καὶ νῦν ἀποδεδωκὼς ὑμῖν, porro ex § 175—181, ubi exempla eorum qui, postquam populus diem festum eos violavisse iudicavit, in iudicio graviter puniti sunt sic proferuntur ut eorum crimen vocibus περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικεῖν ad laesam religionem manifesto spectantibus significetur [2]), tum ex § 214

---

memoratur propter religionem laesam eam factam esse appareat neque umquam propter solam insolentiam apud populum quemquam accusatum esse notum sit, qua de re cf. Meier und Schoemann Attischer Process p. 271—277. Itaque a librario interpretandi causa videntur addita esse.

[1]) Quod tam multis locis orator sic loquitur ut insolentiae Midiam accusare videatur eo explicatur quod laesae religionis crimen, quod caput causae est, totum in contumelia Demostheni inter diei festi sollemnia illata vertitur.

[2]) Cf. § 175 sqq. βούλομαι τοίνυν ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ὅσων ἤδη καταχειροτονήσαντος τοῦ δήμου περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικεῖν ὑμεῖς κατεγνώκατε εἰπεῖν καὶ δεῖξαι τί πεποιηκότες αὐτῶν ἔνιοι τίνος ὀργῆς τετυχήκασιν παρ' ὑμῶν, ἵνα

verbis *καὶ γὰρ εἰ μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τόθ' ὅτ' ἦν ἡ προβολὴ τὰ πεπραγμένα ὁ δῆμος ἀκούσας 'πεχειροτόνησε Μειδίου, οὐκ ἂν ὁμοίως ἦν δεινόν· καὶ γὰρ μὴ γεγενῆσθαι καὶ μὴ περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικήματα ταῦτ' εἶναι καὶ πολλὰ ἂν εἶχέ τις αὐτὸν παραμυθήσασθαι*, ex iis denique quae § 227 indicantur, ubi legimus *πάντων οὖν ἕνεκα τῶν εἰρημένων καὶ μάλιστα τοῦ θεοῦ χάριν περὶ οὗ τὴν ἑορτὴν ἀσεβῶν οὗτος ἥλωκε τὴν ὁσίαν καὶ δικαίαν θέμενοι ψῆφον τιμωρήσασθε τοῦτον* dilucidissime Blassii sententiam veram esse apparet.

Itaque id potissimum agendum erat oratori ut revera Midiam religionem laesisse ostenderet. Quod duobus modis perficere poterat. Primum enim sic argumentationem instituere poterat ut summum pondus in insolentiae crimine collocans, cum eo illa de religione violata criminatio niteretur, insolenter sibi a Midia insultatum esse imprimis comprobaret, qua re demonstrata, cum illud in Demosthenem facinus per choregiam commissum esset, religionem laesam esse continuo apparebat, neque opus erat peculiari orationis parte hoc fusius persequi, sed brevi addita conclusione strictim subiungere sufficiebat. Quod consilium si sequi in animo fuisset oratori, aut paulo antequam dispositionem proponeret aut in ipsa partitione eo modo se rem instituturum esse significare debebat, quoniam totius orationis summa in eo erat ut in deum Midiam peccavisse evince-

ταῦτα πρὸς τὰ τούτῳ πεπραγμένα ἀντιθῆτε. πρῶτον μὲν τοίνυν .... περὶ τὰ μυστήρια ἀδικεῖν Εὐάνδρου κατεχειροτόνησεν ὁ δῆμος τοῦ Θεσπιέως .... ἔστι δ' ὁ αὐτὸς νόμος τῷδε τῷ περὶ τῶν Διονυσίων ὁ περὶ τῶν μυστηρίων, κἀκεῖνος ὕστερος τοῦδε ἐτέθη. τί οὖν ποιήσαντος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατεχειροτονήσατε τοῦ Εὐάνδρου; τοῦτ' ἀκούσατε .... κατεχειροτονήσατε μὲν διὰ ταῦτα, καὶ οὐδ' ὁτιοῦν ἄλλο προσῆν, εἰσελθόντα δ' εἰς τὸ δικαστήριον ἐβούλεσθε μὲν θανάτῳ κολάσαι .... εἷς μὲν οὗτος ἐξ ἰδίου πράγματος, οὐδεμιᾶς ὕβρεως προσούσης, ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ παραβῆναι τὸν νόμον (scil. *τὸν περὶ τῶν μυστηρίων*) *τοσαύτην ἔδωκε δίκην .... ἕτερος ἀδικεῖν ποτ' ἔδοξεν ὑμῖν περὶ τὰ Διονύσια, καὶ κατεχειροτονήσατε αὐτοῦ παρεδρεύοντος ἄρχοντι τῷ υἱεῖ, ὅτι θέαν τινὸς καταλαμβάνοντος ἥψατο ἐξείργων ἐκ τοῦ θεάτρου .... ταῦτ' ἔλεγε μὲν ἐκεῖνος, ἐχειροτονήσατε δ' ὑμεῖς· οὐ μὴν εἰσῆλθεν εἰς τὸ δικαστήριον οὗτος, ἀλλ' ἐτελεύτησε πρότερον· ἑτέρου τοίνυν ὅ τε δῆμος ἅπας κατεχειροτόνησεν ἀδικεῖν περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ ὑμεῖς εἰσελθόντα ἀπεκτείνατε τοῦτον, Κτησικλέα, ὅτι σκῦτος ἔχων ἐπόμπευε καὶ μεθύων ἐπάταξέ τινα ἐχθρὸν ὑπάρχονθ' αὐτῷ .... ἁπάντων τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὧν ὁ μὲν ὧν εἷλεν ἀποστάς, ὁ δὲ καὶ θανάτῳ ζημιωθεὶς φαίνεται, πολλῷ δεινότερ' εὖ οἶδ' ὅτι πάντες ἂν φήσειαν τὰ Μειδίᾳ πεπραγμένα·*

retur. Altero modo ipsum violatae religionis crimen ita explicare poterat ut praeter gravitatem contumeliae sibi impositae locum et tempus festi ea re perturbati contemptamque choregi dignitatem praecipue spectans nefas commissum denotaret eaque ratione inde ab initio totam argumentationem ad ipsam laesam religionem ostendendam aptaret. Sed neuter argumentandi modus in hac oratione plane observatus est. Itaque ex ipsius causae natura et orationis divisione quaerendum est utram rationem Demosthenes instituerit. De partitione autem videndum est quo spectet § 21 extr. *ὅσα ὑμεῖς* (scil. *ὑβρίσθητε*). Quod ad omnia Midiae scelera in Athenienses commissa referri nequit, quoniam etiam in ea parte qua reliqua eius vita describitur plurima afferuntur quae in Athenienses deliquerit, ut ipse praemonet § 129 sqq. verbis *νυνὶ δὲ τοσαῦτ᾽ ἐστὶ τἄλλα ἃ πολλοὺς ὑμῶν ἠδίκηκε καὶ τοιαῦτα ὥστε τούτου μὲν τοῦ δέους ἀπήλλαγμαι, φοβοῦμαι δὲ πάλιν τοὐναντίον μή, ἐπειδὰν πολλὰ καὶ δεινὰ ἑτέρους ἀκούηθ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ πεπονθότας, τοιοῦτός τις ὑμῖν λογισμὸς ἐμπέσῃ . . . . ἔστι δὲ ταῦτα παντοδαπὰ καὶ ὕβρεις πολλαὶ καὶ περὶ τοὺς οἰκείους κακουργήματα καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ἀσεβήματα . . . . ὅσα μὲν τοίνυν . . . . τὸν ἀεὶ προστυχόντ᾽ αὐτῷ πεποίηκε, ταῦτ᾽ ἐστίν . . . . ἄξιον δ᾽ ἰδεῖν ἐφ᾽ ὅσον φρονήματος ἤδη προελήλυθε τῷ τούτων δίκην μηδενὸς δεδωκέναι. οὐ γὰρ ἡγεῖθ᾽, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, λαμπρὸν οὐδὲ νεανικὸν οὐδ᾽ ἄξιον θανάτου ὅ τι ἄν τις πρὸς ἕνα εἷς διαπράττηται, ἀλλ᾽ εἰ μὴ φυλὴν ὅλην καὶ βουλὴν καὶ ἔθνος προπηλακιεῖ καὶ πολλοὺς ἀθρόους ὑμῶν ἅμα ἐλᾷ, ἀβίωτον ᾤετ᾽ ἔσεσθαι τὸν βίον αὑτῷ. καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ μυρία εἰπεῖν ἔχων, περὶ δὲ τῶν συστρατευσαμένων ἱππέων εἰς Ἄργουραν ἴστε δήπου πάντες οἷα ἐδημηγόρησε παρ᾽ ὑμῖν . . . . τὸν δὴ τοσούτοις ἀθρόοις τῶν πολιτῶν ἔχθραν ἐπ᾽ οὐδενὶ τηλικαύτην ἀράμενον πόσῃ πονηρίᾳ καὶ θρασύτητι ταῦτα χρὴ νομίζειν πράττειν;* Itaque ea indicantur quibus simul cum Demosthenis insultatione in Athenienses, maxime in tribules (cf. § 19 *τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἠσελγημένα . . . . ταῦτ᾽ ἔστιν*), insolenter se gessit. Iam vero magis verisimile mihi videtur esse Demosthenem pro summa argumentationis illud habuisse ut religionem laesam esse ostenderet eiusque rei causa de superbia qua Midias se et Athenienses contumelia affecisset locutum esse. Nam ita demum summa argumentationis ad ipsius causae caput, quod ad impietatem pertinet, aptis-

sime convenit. Nefas autem a Midia commissum insolentia eius contineri in initio partitionis (§ 19) obiter ipse orator indicat in unum ea his verbis coniungens *τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἠσελγημένα καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικήματα τούτῳ πεπραγμένα ἐφ᾽ οἷς αὐτὸν προυβαλόμην ταῦτ᾽ ἔστι κ. τ. λ.* Idem mihi videtur concludi posse ex § 51 verbis *εἰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ χορηγὸς ὢν ταῦτ᾽ ἐπεπόνθειν ὑπὸ Μειδίου, ὕβριν ἄν τις μόνον κατέγνω τῶν πεπραγμένων αὐτῷ· νῦν δέ μοι δοκεῖ, κἂν ἀσέβειαν εἰ καταγιγνώσκοι, τὰ προσήκοντα ποιεῖν. ἴστε γὰρ δήπου τοῦτο, ὅτι τοὺς χοροὺς ὑμεῖς ἅπαντας τούτους καὶ τοὺς ὕμνους τῷ θεῷ ποιεῖτε οὐ μόνον κατὰ τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν Διονυσίων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς μαντείας, ἐν αἷς ἁπάσαις ἀνῃρημένον εὑρήσετε τῇ πόλει ὁμοίως ἐκ Δελφῶν καὶ ἐκ Δωδώνης, χοροὺς ἱστάναι κατὰ τὰ πάτρια καὶ κνισᾶν ἀγυιὰς καὶ στεφανηφορεῖν* et ex § 55 extr. *τὸν οὖν εἴς τινα τούτων τῶν χορευτῶν ἢ τῶν χορηγῶν ὑβρίζοντα ἐπ᾽ ἔχθρᾳ, καὶ ταῦτ᾽ ἐν αὐτῷ τῷ ἀγῶνι καὶ ἐν τῷ τοῦ θεοῦ ἱερῷ, τοῦτον ἄλλο τι πλὴν ἀσεβεῖν φήσομεν;* Ad confirmandam autem principalem criminationem reliqua Midiae scelesta facinora additurus erat orator, quae in universum § 19 extr. verbis *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας παμπληθεῖς αὐτοῦ καὶ ὕβρεις εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μιαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινὰ κ. τ. λ.* complectitur. Secundum hunc igitur orationis ordinem res ita § 21 extr. distribuit ut priore loco bipartito ignominiam a Midia sibi et Atheniensibus illatam se demonstraturum, altero reliquam eius vitam examinaturum esse dicat. Hanc igitur rerum seriem si orator explicando secutus esset, priore loco prius Midiae insolentia se ipsum, deinde simul Athenienses contumelia affectos esse ita demonstrasset ut religionem violatam esse appareret, posteriore de reliqua Midiae vita exposuisset. Sed quod ad priorem locum pertineat nihil sequitur nisi aurificis testimonium satis abrupte prolatum, tum, tamquam reliqua omissa sint, transitus paratur ad enarrandam reliquam rei vitam his § 23 verbis *πολλὰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου, καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ ἀτιμίας τοσαύτας ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα.* Attamen, postquam aliquot Midiae excusationes occupatae sunt, quas ante reliquam Midiae vitam describendam se praesumpturum esse ipse orator § 24 verbis *βούλομαι δὲ πρὸ τούτων εἰπεῖν οἷς ἐπι-*

χειρήσειν αὐτὸν ἀκήκοα ἐξαπατᾶν ὑμᾶς κ. τ. λ. dicit, § 42—50 de poena loquitur quam ille superbia in se exhibita meruerit, tum § 51—69 ad impietatem choregici muneris contemptu et ludibrio demonstrandam progreditur, sed postea (70—76) rursus ad poenam insolentiae aestimandam redit, quae omnia priori argumentationi, quae ad contumeliam (ὕβριν) et impietatem (ἀσέβειαν) spectat, tribuenda sunt. Ad eius autem absolutionem deest, si excipias aurificis testimonium, ipsius insolentiae in Demosthenem et Athenienses commissae, quae summatim § 13—18 narrata est, demonstratio et confirmatio, quam et ipsam commemoratis sollemnibus Midiae flagitio nefarie turbatis ad impietatis crimen quodammodo pertinuisse probabile est. Sed etiam alia videntur deesse. Nam non solum eo poenam meruit Midias quod Demosthenem insolenter tractavit, sed non minus quod in Athenienses superbe se gessit et multo etiam magis quod nefaria in deum impietate peccavit. Haec in perfecta oratione omisisse oratorem, qui id maxime eniteretur ut reum gravissima poena dignum esse demonstraret, prorsus credi nequit. Quod si consideramus, illa quoque Spengelii [1]), Buttmanni [2]), Weilii [3]) sententia, qui illam de superbia argumentationem ab oratore perfectam et postea a librario aliquo omissam esse putant, prorsus non videtur esse probanda [4]). Neque enim solum multa in hac parte demonstrationem criminis continente omissa sunt, sed etiam rerum ordo perturbatus est. Nam, ut supra (p. 27—30) vidimus, quae § 25—41 praesumuntur non suo loco sunt, et quae de violata choregi dignitate § 51—69 proferuntur iis interposita sunt quibus de poena insolentiae Demostheni illatae agitur (§ 42—50, 70—76). Itaque, cum huius partis in iis quae adhuc contemplati sumus nihil supersit nisi abscissum aurificis testimonium et quae ad choregiam

---

[1]) Philol. XVII p. 611 sq.

[2]) L. l. p. 123—125.

[3]) L. l. p. 103.

[4]) Quae Buttmannus ex altero orationis argumento attulit tamquam in ipsa oratione omissa ut demonstraret eas orationis partes excidisse ea falsae aliquot locorum interpretationi quam scriptor argumenti secutus sit tribuenda esse Nitschius demonstravit (l. l. p. 67). Iis quae hic docuit de sacrorum vestimentorum raptu addi potest raptum vestimentorum in argumento illo falso commemoratum ex § 147 verbis τὸ δ' ὅλως ἀφανίζειν ἱερὰ ἔσθ' ὅτι τοῦ κόπτειν διαφέρει; male intellectis petitum esse.

ludibrio habitam spectent, eam ab ipso oratore absolutam non esse patet. Sed etiam aliis locis iustus rerum ordo desideratur. Iam Nitschius duo capita, § 143—150 et § 175—183, suum locum non tenere vidit. Quorum prius et quod ad sententias et quod ad transitiones attineat apta carere cum antecedentibus et cum sequentibus iunctura affirmat [1]). Quod quidem suo iure ille contendit, sed non ostendit, et quae profert argumenta, ut illum locum post § 170 ponendum esse demonstret, partim nulla sunt, partim ita proferuntur ut quid ex iis colligi possit non eluceat. Quod quo melius perspiciatur, ipsam eius argumentationem exscribam. 'Unice, inquit, hic (scil. post § 170) eis (scil. § 143—150) locum esse iam videbis, tum quia hic collocatae ipsae habebunt quo referantur, tum quia sequentibus quod lumen poscunt affundent. Comparantur enim § 143—150 et superbia et merita virtutesque Alcibiadis cum Midia. Praeter facundiam (cf. § 143 extr., 153, 202), praeter honores Olympicos per magnificentiam Alcibiadis urbi adquisitos, cum quibus § 174 extr. demum Midiae sordes conferuntur, afferuntur Alcibiadis expeditiones bellicae § 145 *αὐτὸς ὑπὲρ τοῦ δήμου θέμενος τὰ ὅπλα δὶς μὲν ἐν Σάμῳ, τρίτον δὲ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τῷ σώματι τὴν εὔνοιαν, οὐ χρήμασιν οὐδὲ λόγοις ἐνεδείξατο τῇ πατρίδι* et Midiae commemorantur res gestae § 148 *τῶν στρατηγιῶν; ἀλλ' οὐδὲ καθ' αὑτὸν στρατιώτης οὗτος οὐδενός ἐστ' ἄξιος, μή τί γε τῶν ἄλλων ἡγεμών.* Horum locorum prior respicit ad § 153 *τὸ ἐν ὑμῖν λέγειν κ. τ. λ.* et ad § 165 *ἐνταῦθα τοῖς σώμασιν αὐτοὶ λειτουργεῖν ἠξίουν* et § 166 *τελωνίαν καὶ πεντηκοστὴν κ. τ. λ.*, posterior ad § 133 *σὺ ὁ μηδὲ λαχεῖν .... κάδους ἔχων* (cf. § 134), § 164 *ὧν ἱππαρχεῖν ἠξίωσε παρ' ὑμῖν ἱππέων τούτοις οὐ συνεξῆλθεν*, § 166 *οὐχ ὁ ἵππαρχος Μειδίας κ. τ. λ.*' Quid horum longe plurima ad illud quod Nitschius vult comprobandum valeant haud perspicuum est. Una earum quas ille protulit causarum, si apte explicatur, huc pertinet, sed ne eius quidem vis ex Nitschii verbis intellegitur dicentis 'horum locorum prior (§ 145) respicit ad § 153 *τὸ ἐν ὑμῖν λέγειν κ. τ. λ.* et ad § 165 *ἐνταῦθα τοῖς σώμασιν αὐτοὶ λειτουργεῖν ἠξίουν* et ad § 166 *τελωνίαν καὶ πεντηκοστὴν κ. τ. λ.*' Quod autem dicit § 148 verba *στρατηγιῶν; ἀλλ' οὐδὲ καθ' αὑτὸν στρατιώτης οὗτος οὐδενός ἐστ' ἄξιος, μή τί γε τῶν ἄλλων ἡγεμών* respicere ad § 133, 164, 166, hac

[1]) L. l. p. 85—89.

re prorsus nihil ostenditur. Nam potest quidem illis verbis respici ad § 164 et 166, sed non necesse est, cum sententia eorum perspiciatur ex § 133 verbis *καίτοι πότερ᾽ εἰσὶν ὄνειδος, ὦ Μειδία, τῇ πόλει οἱ διαβάντες ἐν τάξει καὶ τὴν σκευὴν ἔχοντες .... ἢ σὺ ὁ μηδὲ λαχεῖν εὐχόμενος τῶν ἐξιόντων, ὅτ᾽ ἐκληροῦ, τὸν θώρακα δὲ οὐδεπώποτ᾽ ἐνδύς, ἐπ᾽ ἀστράβης δὲ ὀχούμενος [ἀργυρᾶς] τῆς ἐξ Εὐβοίας, χλανίδας δὲ καὶ κυμβία καὶ κάδους ἔχων, ὧν ἐπελαμβάνοντο οἱ πεντηκοστολόγοι; ταῦτα γὰρ εἰς τοὺς ὁπλίτας ἡμᾶς ἀπηγγέλλετο.* § 148 autem post § 133 legitur, etiamsi illa particula non transponitur. Pergit Nitschius: 'Denique confertur § 149 sq. cum nobilissima Alcibiadis origine Midiae obscura atque spuria, ex qua explicari dicit huius barbaram, ab urbis legali alienam naturam. Haec de origine verba vel sola evincere possunt § 143—150 suum locum non tenere. Nam cogitare quisquam potest oratorem *ἐσκεμμένα πάντα λέγοντα* (cf. § 191) haec ficta ac superlata dixisse paulo ante § 157 extr., ubi de Midia ita loquitur: *οὐδὲν τῶν πατρῴων ἀποστερηθεὶς ὑπ᾽ οὐδενός, ἀλλὰ παρὰ τοῦ πατρὸς πολλὴν οὐσίαν παραλαβών* et paulo post § 157 rursus protulisse quae ad illa referenda sint? Nam § 171, 172 demum, si ad § 143—150 referuntur, si has continuo sequuntur, suum lumen accipiunt. Intellegitur tum cur usus sit orator tam vehementi epitheto § 171 quam est *τῷ καταπτύστῳ τούτῳ*, quid sibi velit ibidem *ὄντα τοιοῦτον οἷός ἐστιν* et § 172 *εἶτα πρὸς τῶν θεῶν .... καὶ χάριν.*' Sed caduca ea omnia. Neque enim intellego cur orator omnia praeparata atque excogitata dicens illa de Midiae origine verba non paulo ante § 157 (*οὐδὲν τῶν πατρῴων .... παραλαβών*) dicere possit; nam § 149 agitur de Midiae origine, § 157 autem de eius vitae posterioris condicione. Tum autem prorsus non opus est § 171 et 172, ut earum vis cognoscatur, continuo ea quae inde a § 143—150 proferuntur sequi; epitheto *καταπτύστῳ* certe orator in § 171 uti poterat, etiamsi illa omnino non praecesserant, cum ex tota Midiae vita antea narrata satis eluceat eum non iniuria sic nominari; et § 137 extr. idem orator de Midiae usurpat epitheton dicens *ἥπερ ἰσχυρὸν ποιεῖ καὶ πονηρὸν τὸν κατάπτυστον τουτονί*, cui loco et ipsi illa de origine rei verba non praecesserunt. Non ad ortum illa vox referenda est, sed ad mores vitamque. Ea quoque quae sequuntur *ὄντα τοιοῦτον οἷός*

ἐστιν intelleguntur ex iis quae de Midiae vivendi ratione antea explicata sunt. Quomodo denique § 172 verba *εἶτα πρὸς τῶν θεῶν* .... *χάριν* lumen suum accipere necesse sit ex § 143—150 non magis perspicitur; nam illa plana essent atque apta, etiamsi haec verba deessent. Quoniam Nitschii argumentationem non stare vidimus, iam ipsi num § 143—150 revera post § 170 interponendae sint pervestigemus. Eas quo leguntur loco apte collocatas non esse, cum idonea cum superioribus et sequentibus careant iunctura, iam supra Nitschio concessimus. Antea enim agitur de rei in alios cives iniuriis, quae res alienissima est a Midiae cum Alcibiade comparatione, et inde a § 151 novam orationis partem incipere ostendit ipsius § 151 initium *τοσούτων τοίνυν καὶ τοιούτων ὄντων τῷ βδελυρῷ τούτῳ καὶ ἀναιδεῖ ὧν βεβίωται ἔνιοί μοι προσιόντες, ὦ ἄνδρες δικασταί, τῶν χρωμένων αὐτῷ παραινοῦντες ἀπαλλαγῆναι καὶ καθυφεῖναι τὸν ἀγῶνα τουτονί, ἐπειδή με μὴ πείθοιεν, ὡς μὲν οὐ πολλὰ καὶ δεινὰ πεποίηκεν .... οὐκ ἐτόλμων λέγειν, ἐπὶ ταῦτα δ' ἀπήντων ὡς "ἥλωκεν ἤδη καὶ κατεψήφισται· τίνος τιμήσειν αὐτῷ προσδοκᾷς τὸ δικαστήριον .... καταγελάσῃ"*. Itaque, cum propriam orationis partem illis verbis contineri cogitari non possit, praesertim cum exemplum praebeant ad id comprobandum quod orator § 169—170 evincere studet, eas suam sedem non habere in aperto est. Atque revera verba § 145 de Alcibiade dicta *οὐ μόνον δὲ ταῦθ' ὑπῆρχεν αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὑπὲρ τοῦ δήμου θέμενος τὰ ὅπλα δὶς μὲν ἐν Σάμῳ, τρίτον δ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τῷ σώματι τὴν εὔνοιαν, οὐ χρήμασιν οὐδὲ λόγοις ἐνεδείξατο τῇ πατρίδι* post § 151—167 videntur esse suo loco, cum ita demum, si haec praecesserunt, suam vim habeant. Vox *χρήμασιν* enim respicit ad illud quod § 154—168 exponitur, Midiam nihil pro republica fecisse nisi minimam pro facultatibus pecuniam in triremi exornanda consumpsisse, et vox *λόγοις* intellegitur ex iis quae § 153 de Midiae contionibus dicta sunt *εἰ μέν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ λειτουργεῖν τοῦτο, τὸ ἐν ὑμῖν λέγειν ἐν ἁπάσαις ταῖς ἐκκλησίαις καὶ πανταχοῦ "ἡμεῖς οἱ λειτουργοῦντες, ἡμεῖς οἱ προεισφέροντες ὑμῖν, ἡμεῖς οἱ πλούσιοί ἐσμεν", εἰ τὸ τοιαῦτα λέγειν, τοῦτ' ἔστι λειτουργεῖν, ὁμολογῶ Μειδίαν ἁπάντων τῶν ἐν τῇ πόλει λαμπρότατον γεγενῆσθαι· ἀποκναίει γὰρ ἀηδίᾳ δήπου καὶ ἀναισθησίᾳ καθ' ἑκάστην τὴν ἐκκλησίαν ταῦτα λέγων.* Accedit quod § 143—150

post § 170 positae optimam praebent sententiam, cum alterum eius rei exemplum contineant quam orator § 169 commemorat et § 170 Harmodii et Aristogitonis exemplo comprobare studet. Itaque, si illa particula post § 170 collocatur, haec sententiarum cohaerentia evadit: Primum Demosthenes § 151—169 evincit Midiam, qui magnopere pecuniam a se pro republica consumptam iactaturus sit, non multum pro civitate fecisse, deinde § 169—170 contendit, etiamsi ille revera ea quae enarraturus sit fecisset, tamen ei permitti non debere ut impune in alios superbiat; ne viris quidem optime de civitate meritis, velut Harmodio et Aristogitoni, illud concessum esse. Tum (§ 143—150) exemplo Alcibiadis comprobatur nullam esse rem, neque generis nobilitatem neque divitias neque potentiam, propter quam populum insolentiam civium ferre deceat (cf. § 143). Post quae apte concluditur praeoccupatio a § 151 exorsa § 171—174, quibus Midiam etiam multo maiorem quam meruerit gratiam accepisse contenditur. Qui rerum contextus mihi adeo aptissimus videtur esse ut mirer quod Blassius[1] § 143—150 post § 170 transpositis sententiarum nexum interrumpi dicat. Nam offendere non debet quod etiam Alcibiadis comparatione ibi non collocata totum quod § 151—174 continetur caput commodam habet sententiarum necessitudinem; neque enim interposita illa particula nova sententia affertur, sed quae antecessit confirmatur, ita ut quae sequuntur ad eandem sententiam adiungantur, sive adest sive abest illa comparatio. Attamen non contenderim Demosthenem hunc totum de Midiae liturgiis locum uno tenore ita conscripsisse ut statim post § 170 compositam § 143—150 conficeret et postea ordinem perturbatum esse. Immo § 143 initium *λέγεται τοίνυν ποτὲ ἐν τῇ πόλει κατὰ τὴν παλαιὰν ἐκείνην εὐδαιμονίαν Ἀλκιβιάδης γενέσθαι κ. τ. λ.*, quibus verbis non satis apte Alcibiadis ad Harmodii et Aristogitonis exemplum applicatur, mihi videtur indicare quae § 143—150 leguntur separatim esse scripta neque ita ad loci sui cohaerentiam accommodata ut sine ulla mutatione post § 170 interponi possent[2].

---

[1]) L. l. p. 295 adn. 1.

[2]) Post § 148 verba *ἀντιθῶμεν δὴ τίς ὢν καὶ τίσι ταῦτ᾽ ἐνδεικνύμενος* lacuna statuenda est, cum quod his verbis proponitur non inveniatur, neque illa cohaereant cum iis quae sequuntur *μὴ τοίνυν ὑμῖν κ. τ. λ.* Aliter de hoc

Alteram partem, § 175—183, ubi exempla eorum enarrantur qui partim quod diebus festis, partim quod alias et alia ratione peccaverant graviter puniti erant, Nitschius[1]) post § 204 transponendam esse putat. Illam enim ad secundum epilogi caput (§ 184—204), in quo orator omnem iudicum misericordiam delere, iram excitare velit (cf. praecipue § 196), pertinere totam eius rationem evincere; quo autem loco inveniatur eam neque cum superioribus neque cum sequentibus apte cohaerere; praeterea, ut iam

loco iudicavit Weilius in commentatione quam de signo critico Midianae in codice Par. Σ apposito scripsit (Mélanges Graux) p. 16. Putat enim § 148 verba *μὴ τοίνυν ὑμῖν .... λέγει* post § 150 collocanda esse. Sed nullo vinculo sic inter se ligantur *ἀντιθῶμεν δὴ τίς ὢν καὶ τίσι ταῦτ᾽ ἐνδεικνύμενος* et *γένους ἕνεκα νὴ Δία*. Quod ipse Weilius fatetur, sed ad mutatum verborum contextum revocat. Sed praeterea rerum expositio manca manet atque imperfecta. Nam quibus hominibus insolentiam Midias exhibuerit (*τίσι ταῦτ᾽ ἐνδεικνύμενος*) omnino desideratur. Neque quidquam proficitur Weilii coniectura *τίσι ταῦτ᾽ ἐξακούμενος*. Nam non magis deinde exponitur quibus rebus reparaverit flagitia illa Midias. Denique verba *γένους ἕνεκα νὴ Δία* cum superioribus *τίνος γὰρ ἕνεκα κ. τ. λ.* aptissime cohaerere ipsa eorum forma demonstratur. Commotus autem est ad suam opinionem Weilius codicis Bavarici scholio ad *γένους ἕνεκα νὴ Δία* adscripto: *τοῦτο συνῆπτο* (ita recte Weilius pro *συνῆπται*) *τοῖς παρασήμοις* (i. e. verbis § 143—148 *ἐνδεικνύμενος*, quae in codice Par. Σ obelo notata sunt), *πρὶν διορθωθῆναι τὸν λόγον· τὰ δὲ μέσα ἐνετέθη*, quibus effici putat, antequam haec oratio manum correctoris experta sit, continuata esse *τίσι ταῦτ᾽ ἐνδεικνύμενος* et *γένους ἕνεκα νὴ Δία*. Sed mihi hoc scholio nihil nisi grammatici cuiusdam suspicio videtur contineri. Hic enim, cum videret conclusionem a verbis *μὴ τοίνυν* incipientem locum non habere, antequam quis ille esset et quibus hominibus insolentiam exhibuisset expositum esset, quis autem esset ille declarari putaret verbis *καὶ τίς οὐκ οἶδεν .... τὰς τούτου γονὰς κ. τ. λ.*, quae interposita sunt a correctore confecta et inserta esse opinatus est. Grammaticus autem qui obelum verbis § 143—148 *ἐνδεικνύμενος* apposuit intellexisse videtur ea non suo loco posita esse. Nam iis locis appinxisse videtur in Midiana hoc signum quibus, cum idoneum rerum et sententiarum conexum desideraret, extremam manum non accessisse putaret. Nam non recte Christius (Abh. der Bair. Acad. XVI 3 p. 26) obelo putat ubique Demosthenis locos spurios notari, id quod intellegitur ex scholio ad § 89 *τοῦτο τὸ μέρος ὠβέλισται παρὰ τῶν κριτικῶν καὶ ὡς ἀδιόρθωτον παραλέλειπται.* Nam ibi critici notasse quaedam verba dicuntur atque omisisse non quod spurii, sed quod parum emendate scripta essent. Eximebant enim verba quae extra sermonis continuitatem esse viderentur.

[1]) L. l. p. 81—84.

H. Wolfio visum sit, et sententiis et verbis abrupte a Midiae contionibus summo supplicio dignis (§ 202—204) ad eius patronos advocatosque transiri. Quae omnia sanari, si § 175—183 post § 204 collocentur. Sed haec mihi non ab omni parte probantur. Id sane Nitschius recte disputavit, illam particulam eo quo legatur loco extra sententiarum cohaerentiam esse positam. Nam inde a § 143—225, si quae § 175—185 continentur exceperis, ea praesumuntur quae aut Midias ipse aut eius amici ut absolvatur in iudicio dicturi vel facturi sint. Quomodo igitur illa exempla apte in media hac refutatione collocari possunt? Eadem re efficitur ne eo quidem quo Nitschius vult loco ea commode posita esse, quoniam refutatio Midiae et amicorum ita aliena enarratione interrumperetur. Neque quomodo melius ab exemplis illis ad Midiae patronos (§ 205) transeatur perspicuum est, quamvis multis verbis Nitschius id exponere studeat. Nam verba a quibus incipit § 205: *καὶ βοηθοῦσιν οἱ λέγοντες ὑπὲρ αὐτοῦ οὐχ οὕτω τούτῳ χαρίσασθαι μὰ τοὺς θεοὺς βουλόμενοι ὡς ἐπηρεάζειν ἐμοὶ διὰ τὴν ἰδίαν ἔχθραν κ. τ. λ.* ut ea praecesserint postulant quibus de ipsius Midiae a quibus hic se defendat criminibus, non de aliorum condemnatione sermo sit, de qua eadem in illa particula quam praecedere vult Nitschius (§ 175—183) revera agitur. Itaque in eo Nitschio non assentior quod illa exempla post § 204 transponenda esse existimat, quamquam ubi inveniuntur ea inepte collocata esse non negaverim. Exempla enim eorum qui propter impietatem in deos commissam puniti erant ad eam partem pertinere apparet qua de poena Midiae propter religionem violatam irroganda agendum erat. Quae vero § 182 et 183 dicuntur ad commendandam gravem *ὕβρεως* poenam facere cognoscitur ex § 182 verbis .... *καὶ τέθνηκεν ἁλοὺς παρ' ὑμῖν· καίτοι τοῦτο τὸ λῆμμα δι' ἔνδειαν, οὐ δι' ὕβριν λαμβάνειν ἐπεχείρησεν ἐκεῖνος* et ex § 183 *οὐδὲν γὰρ ῥῆμα οὐδ' ὄνομα οὕτως ἐστὶ τοῖς πολλοῖς ὑμῶν χαλεπὸν ὡς ὅσα ὑβρίζων τις τὸν ἐντυχόντα ὑμῶν διαπράττεται. μὴ τοίνυν αὐτοὶ καθ' ὑμῶν αὐτῶν δεῖγμα τοιοῦτον ἐξενέγκητε .... ὡς ἄρα ὑμεῖς, ἂν μὲν τῶν μετρίων τινὰ καὶ δημοτικῶν λάβητε ὁτιοῦν ἀδικοῦντα, οὔτ' ἐλεήσετε οὔτ' ἀφήσετε, ἀλλ' ἀποκτενεῖτε ἢ ἀτιμώσετε, ἐὰν δὲ πλούσιος ὤν τις ὑβρίζῃ, συγγνώμην ἕξετε.* Atque cum exempla *ἐνδείξεως* pecuniae aerario debitae et *γραφῆς παρανόμων* hic (§ 182 et 183) narrata publicam

populi iniuriam contineant, eo pertinere videntur ubi de poena orator dicturus erat quam Midias contumelia Atheniensibus illata meruisset. Itaque, cum supra (p. 30) dubitari vix posse viderimus quin orator, si orationem perfecisset atque perpolivisset, quaecunque de poena Midiae dicenda erant una parte comprehensurus fuerit, omnia § 175—183 tractata illi parti tribuenda esse in aperto est quae inde a § 42 incipit. Sed quoniam complures huius partis res desint neque aut § 175—181 aut §§ 182 et 183 usquam ita interponi possint ut commoda rerum cohaerentia aptaque iunctura evadat, ab oratore ea separatim conscripta neque ad verborum contextum applicata esse apparet.

Praeterea ne ea quidem quae § 184—188 leguntur suam sedem habent. Nam § 184 et 185 in mediis anteoccupationibus positae sunt, cum ipsis neque Midiae neque eius amicorum argumentum refellatur. Ea perorationi tribuenda esse indicat ipsum § 184 initium *ἃ τοίνυν οὐδενὸς τῶν εἰρημένων ἧττον ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν, ταῦτ᾽ εἰπὼν ἔτι καὶ βραχέα περὶ τούτων διαλεχθεὶς καταβήσομαι.* Neque enim tale quidquam ab oratoribus profertur nisi in initio aut epilogi aut capitis epilogi, de qua re conferas velim Demosthenis de Chersoneso orationis § 76, in Leptinem § 154, contra Aristocratem § 215, contra Theocrinem § 57. Neque § 186—188, ubi praecavetur ne iudicum misericordia per liberos et preces rei moveatur, causis quas Midias ad se defendendum prolaturus est apte interponuntur, sed propter diversitatem multo melius post haec ea collocari consentaneum est.

Quodsi consideramus non solum tam multis huius orationis locis iustum rerum ordinem desiderari, cum § 23—41, 51—69, 143—150, 175—181, 182—183, 184—185, 186—188 suo loco posita non sint, sed etiam multa quae in hac oratione omitti prorsus non poterant non inveniri, velut uno excepto aurificis testimonio totam eam partem qua demonstrandum erat quibus iniuriis Demosthenes et ipsi Athenienses a Midia per choregiam affecti essent et magnam capitis de poena Midiae irroganda partem atque eam quidem qua de insolentia in Athenienses et in deum punienda dicendum erat, facere non possumus quin hanc orationem qualem nunc habemus a Demosthene perfectam atque editam esse negemus. Neque enim credi potest casu orationis formam postea tantopere

depravatam esse, praesertim cum nullius fere antiqui scriptoris opera tam integra servata sint quam Demosthenis orationes. Itaque nihil aliud restat nisi ut statuamus Demosthenem primum quidem huius orationis partes separatim conscribere coepisse postea eas in ordinem redacturum, deinde vero, cum litem reliquisset, orationem perficere atque edere omisisse, praesertim cum laudi ei non esset quod litem pecunia accepta composuisset, post eius autem mortem has scidulas inventas et neglegenter ac temere, ut nunc videmus, collectas esse. Cum hac sententia optime convenit quod ita facile explicari potest quomodo illae earundem rerum repetitiones ortae sint. Ac primum quidem quod duobus locis orator efficere studet ne per liberos rei misericordia iudicum commoveatur, § 99—101 et § 186—188, sic factum esse hoc cogitari potest: orator, cum illam de Stratonis calamitate immerita narrationem conficeret iudicumque iram in Midiam inflammare conaretur, ut iam hic illud praesumeret, ne liberorum adspectu iudices commoverentur, eo adductus est quod tam commode atque tanto cum effectu illi narrationi applicari poterat ut facere vix posset quin hic adiungeret. Et cum ea quae Midias eiusque amici molituri essent refutaret, etiam huc illud pertinere ratus inter ea quoque tractavit. Neque vero dubium est quin postea, si orationem in ordinem composuisset et perpolivisset, ita utrumque locum conformaturus fuerit ut nihil offenderet. Multo minus, si singulas partes separatim Demosthenes conscripsit, mirum videri debet quod ad eandem rem illustrandam bis eadem erani comparatione usus est (§ 101 et 184—185), praesertim cum usitatissima et maxime in promptu esset eius vocabuli translatio. [1])

Neque minus facile, immo etiam facilius ita illa eiusdem rei repetitio [2]) quae invenitur § 208—212 et 213—218 explicatur. Neque enim ibi idem bis eodem modo expositum est. § 208—212 enim divitum Midiae amicorum preces impugnantur argumento ex aequitate sumpto; quaerit orator ex iudicibus, si quis ex vulgo in illorum Midiae amicorum quendam aliquid nefarie commiserit et

[1]) Cf. Thuc. II 43, 1. Xen. Cyr. VII 1, 12. Plat. Legg. 927 C. Isocr. X 20. Dem. LIX 8.

[2]) V. huius commentationis p. 9 sq. 13. 25.

iudicium talibus hominibus refertum adeat, quid veniae aut quam defensionem impetraturum eum esse putent; eodem modo quo illos tum acturos esse existiment ipsis agendum esse. § 213—218 autem divitum preces eo irritae redduntur quod, cum in probolae actione iis supplicantibus populus obsecutus non sit, in eo iudicio iudices debere persistere orator docet. Itaque idem diversis causis reicitur et, ut iam supra dictum est, id tantum offendit quod § 213 sic incipit quasi de ea re non iam expositum sit. Ceterum omnia in illis particulis prolata tam diversa sunt ut alio initio § 213 substituto omnia plana atque apta essent. Itaque in aperto est Demosthenem posterius caput (§ 213—218) ante prius confecisse, cum, si postea illud conscripsisset, aliter id priori eum adiuncturum fuisse verisimile sit. Postea autem, cum qui pro Midia oraturi essent audivisset, alterum illud argumentum (§ 208—212) ad eorum deprecationem infringendam composuit, quod illi alteri postea anteponeretur. Nam verba § 213—218 conscripta esse antequam qui divitum pro reo prodituri essent compertum haberet, i. e. ante § 208—212, vel ex ea re videtur concludi posse quod § 215 Neoptolemum Mnesarchidem Philippidem eosdem esse qui in iudicio quoque oraturi sint non significatur. Nam, ut iam Nitschius [1]) dixit, verisimile est Demosthenem, si eos in iudicio deprecaturos esse iam compertum habuisset, non praetermissurum fuisse quin § 215 commemoraret eosdem iam antea populum precibus adisse ut Midiam absolveret.

Iam ut ipsi quomodo orationem disponendam esse censeamus explanemus, primum anteoccupationem § 23—41 locum suum habere ante reliquae Midiae vitae enarrationem in illius ipsius exordio significatum est verbis πολλὰ μὲν τοίνυν . . . . ὑμᾶς. Refutatur autem primum illud quod Midiam dicturum esse comperit orator, causam privatam esse oportere, non publicam. Cuius rei duo ille allaturus est argumenta, unum ex ipsius criminis natura petitum (§ 25—28), alterum ad accusatoris personam spectans, quod unus Demosthenes, rei inimicus, laesus sit (§ 29—35). Deinde refellitur quod Midias exempla aliorum magistratuum qui insolentia affecti sint ad imminuendam iudicum iram prolaturus sit (§ 36—41). Iis quae sequuntur § 42—50 de poena ὕβρεως agitur eodemque spectant § 70—76, quibus exempla potissimum similium scelerum

severe punitorum afferuntur. Sed cum hoc loco id unum proponatur quomodo ea quae Midias in Demosthenem insolenter perpetraverit punienda sint, etiam de ea poena quam contumelia Atheniensium et impietate in deum meruerit oratorem dicturum fuisse, ut supra diximus, certum est. Quod de poena caput, ut iam supra (p. 30) monuimus, *ὕβρεως* et *ἀσεβείας* confirmationi, unde totum pendet, adiungendum erat. Quae interposita sunt duabus huius capitis particulis, § 51—69, *ἀσεβείας* demonstrationem argumenta (51—57) et exempla (58—69) complectentem continent, quae, cum tota ex iniuria Demostheni choregi munere fungenti illata proficiscatur neque simul ad Athenienses eadem re contumelia affectos respiciat, cum insolentiae in Demosthenem exhibitae confirmatione conectenda erat. Secuturus erat locus de contumelia Atheniensium. Huic subiungenda erant quae § 77—125 sequuntur, ubi de inimicitiarum inter Demosthenem et Midiam origine et de prioribus eius in oratorem iniuriis exponitur. Ac primo quidem obtutu videri possunt haec reliquae Midiae vitae tribuenda esse. Sed aliud orator sequitur consilium; hic enim explicare vult quam originem quemque progressum Midiae in Demosthenem odium habuerit (cf. § 77 *οἶμαι τοίνυν τινὰς ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ποθεῖν ἀκοῦσαι τὴν ἔχθραν, ἥτις ἦν ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους*), reliquae autem illius vitae descriptionem in sceleribus in alios cives et deos commissis versari intellegitur ex § 19 *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας παμπληθεῖς αὐτοῦ καὶ ὕβρεις εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μιαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινά, ἐφ᾽ οἷς τῶν πεπονθότων κ. τ. λ.* et § 128 sq. *εἰ μὲν τοίνυν . . . . μηδένα τῶν ἄλλων πολιτῶν ἠδικηκὼς εἰς ἐμὲ μόνον ἀσελγὴς οὕτω καὶ βίαιος ἐγεγόνει, πρῶτον μὲν ἔγωγ᾽ ἀτύχημα ἂν ἐμαυτοῦ τοῦτο ἡγούμην, ἔπειτ᾽ ἐφοβούμην ἂν μὴ τὸν ἄλλον ἑαυτοῦ βίον οὗτος μέτριον δεικνύων καὶ φιλάνθρωπον διακρούσηται τούτῳ τὸ δίκην ὧν ἐμὲ ὕβρικε δοῦναι. νυνὶ δὲ τοσαῦτ᾽ ἐστὶ τἄλλα ἃ πολλοὺς ὑμῶν ἠδίκηκε καὶ τοιαῦτα ὥστε τούτου μὲν τοῦ δέους ἀπήλλαγμαι, φοβοῦμαι δὲ πάλιν τοὐναντίον μή, ἐπειδὰν πολλὰ καὶ δεινὰ ἑτέρους ἀκούηθ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ πεπονθότας, τοιοῦτός τις ὑμῖν λογισμὸς ἐμπέσῃ "τί οὖν σὺ δεινότερον ἢ τῶν ἄλλων εἷς ἕκαστος πεπονθὼς ἀγανακτεῖς;" . . . . ἀναγνώσομαι μὲν ὑμῖν, ὡς ἐμαυτῷ γέγραμμαι, πάντα τὰ ὑπομνήματα, ... ἔστι δὲ ταῦτα παντοδαπά, καὶ ὕβρεις πολλαὶ καὶ περὶ τοὺς οἰκείους κακουργή-*

ματα καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ἀσεβήματα. Quare ad ipsam iniuriam Demostheni per choregiam a Midia impositam, quae nulla alia esse potest nisi ipsa causa huius actionis, applicari debet haec enumeratio iniuriarum quibus orator et ante choregiam et post eam a Midia affectus est. Itaque post ὕβρεως confirmationem suam habet sedem. Nam ad explicandum et augendum insolentiae crimen plurimum confert, et alium locum ubi commodius ponatur frustra quaesiveris. Certe antequam de poena diceretur priores et posteriores in Demosthenem iniurias narrari conveniebat; eo enim digniorem eum poena proposita haberi necesse erat. Post eum locum autem ubi de Atheniensium contumelia acturus erat orator haec sedem suam habere eo apparet quod in omnium iniuriarum quae Midiae facinoribus in Demosthenem perpetratis continentur comprehensione cum hac parte conexa (§ 126—127) ad illam contumeliam respicitur. Post transitum ad reliquam Midiae vitam enarrandam factum (§ 23) praeponitur anteoccupatio (§ 24—41) ex duabus refutationibus constans, quarum primam duabus particulis, § 25—28, 29—35, alteram § 36—41 contineri supra docuimus. Secutura erat ipsa reliquae rei vitae narratio (§ 128—142), cuius pars longe maxima commentariis de Midiae maleficiis, quos orator ex scripto recitaturus erat, continebatur, quos, cum nobis non servati sint, ab illo conscriptos non esse suspicari licet. Concluditur haec pars brevi refutatione eorum quae quis ad Midiam de criminibus ex reliqua eius vita petitis purgandum oppositurus esse videatur (§ 141—142). Quae restat maxima orationis pars, eam si paulo attentius perlegeris, plerumque in refellendis iis versari facile perspicies quae aut ipse Midias aut eius patroni ad eum purgandum vel excusandum dicturi vel facturi sunt. Sed non minus cognosces immixta esse quae alieni sint argumenti. Statim § 143—150, qua parte redarguitur quod Midias dicturus est veniam sibi propter sua in rempublicam merita et beneficia in eam collata exposcens, interponenda fuisse inter § 151—170 et 171—174 supra iam cognovimus. Non magis quae inde a § 175—183 sequuntur suo loco sunt posita. Habemus enim ibi primum exempla eorum qui propter religionem similiter atque a Midia violatam puniti sunt (§ 175—181); sed deinde (§ 182—183) adduntur quae neque refutationis sunt neque cum proxime praegressis quidquam

commune habent.[1]) Nam iis gravem contumeliae Atheniensibus illatae poenam commendari supra ostendimus. Quae duae diversae partes ubi propriam sibi sedem recipiant dubium esse nequit. Nam exempla impietatis punitae (§ 175—181) ei capiti tribuenda sunt quo oratorem de *ἀσεβείας* poena dicturum fuisse supra vidimus, neque minus clarum est reliqua (§ 182—183) cum *ὕβρεως* poena coniungenda esse. Nam exempla quae proferuntur *ἐνδείξεως* pecuniae aerario debitae et *γραφῆς παρανόμων* publicam populi iniuriam continent. Simul autem his duabus partibus maxime confirmatur quod supra (p. 41) ex ipsa rerum natura collegimus, oratorem non solum prodidisse quid de insolentia qua in ipsum Midias usus erat vindicanda sentiret, sed etiam quomodo in contumeliam a reo Atheniensibus illatam eiusque impietatem animadvertendum esset declarare voluisse. Itaque cum supra dubitari vix posse audiverimus quin Demosthenes, si orationem perfecisset atque perpopolivisset, quaecunque de poena Midiae dicenda essent una parte comprehensurus fuerit, omnia § 175—183 prolata illi parti quae a § 42 incipit tribuenda fuisse consentaneum est. Ceterum nisi verba *καὶ τούτους μὲν ἐάσω* (§ 181 extr.) ab eo addita esse existimas qui

---

[1]) Blassius § 182 *ὑμεῖς δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* — 183 *διαπράττεται* sententiarum cohaerentiam interrumpere contendit. Offendendum sane est hoc loco, sed causa offensionis alia est. Neque enim illis verbis rerum contextus turbatur, cum hic de similibus rebus similique modo atque antea dicatur; sed ratio qua ab iis quae praecedunt ad illa transitur offensioni est; nam verbis *ὑμεῖς δὲ κ. τ. λ.* hoc exemplum sic adiunctum est antecedenti quasi Athenienses ab aliis hominibus antea commemoratis distinguantur, cum de iisdem Atheniensibus ibi exponatur (cf. § 182 *ἀλλὰ Πύρρον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν Ἐτεοβουτάδην, ἐνδειχθέντα δικάζειν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ θανάτῳ ζημιῶσαί τινες ὑμῶν ᾤοντο χρῆναι κ. τ. λ.*). Si illa verba hoc loco eicienda sunt, aut ex alio loco huc falso translata aut ab interpolatore addita ea esse putandum est. Sed prius verisimile non est, cum neque simile quidquam inveniatur in hac oratione neque alio huius orationis loco Demosthenes haec exempla proferre potuerit. Alterum non magis probabile est, cum ne interpolator quidem tam inepte ad hoc exemplum orationem traducturus fuerit, quod facillimum erat apte cum superioribus coniungere. Tota offensio tollitur, si ante illa verba aliud exemplum excidisse statuimus, quo de antiquis Atheniensibus ageretur sic fere incipiens: *ὑμῶν μὲν οἱ πρόγονοι* . . . . Ita illa quae desideratur oppositio adest et in promptu est videre quam facile librarii oculi a priore *ὑμῶν* ad insequens *ὑμεῖς* aberrare potuerint.

huius orationis fragmenta collegit, quoniam aptissime cum sequentibus conectuntur, statuendum est antea etiam alia eiusdem rei exempla oratorem aut attulisse quae perierint aut voluisse addere. Proxima (§ 184—185) propter initium perorationi adiungenda esse iam antea (p. 48) monuimus, quo loco ibi ponenda sint postea cognoscemus. Tum vero parum opportune eorum quae Midias pro se dicturus est confutationi intercedit lamentationis atque deprecationis eius reprehensio. Quam multo commodius in fine eorum legi quibus ille refellitur sponte apparet. Ita si fit, secundo loco Midias oppositurus est Demosthenem dicendi facultate in se abuti, quod § 189—190 redarguitur; tertium quo ille se defensurus est, Demosthenem omnia meditata et praeparata dicere, § 191—192 ad irritum redigitur; quarto loco fallaciae discutiuntur quibus reus populi suffragia incusaturus est, quae pars usque ad § 205 continuatur, quoniam § 202—204 illi incusationi obicitur qua ratione ipse Midias in contionibus se gerere soleat. Concluditur autem Midiae refutatio, si verum est quod supra monuimus, iis quibus rei lamentationem atque deprecationem orator praevertit (§ 186—188). Sequitur eorum qui pro reo verba facturi sunt refutatio (§ 205—225), quae ex duabus partibus constat. Altera (§ 205—207) Eubulus, altera (§ 208—225) reliquorum divitum Midiae amicorum, velut Philippidis, Mnesarchidis, Diotimi, aliorum, preces impugnantur idque duabus rationibus, aequitate (§ 208—212) et constantia (§ 213—225)[1],

---

[1]) § 218 verba *πότερ' οὖν τούτου γενομένου .... κρίνεται κοινά* eo quo leguntur loco extra rerum cohaerentiam posita sunt. Nam primum quidem vox *τούτου*, ut Blassius (l. l. p. 296 adn. 5) recte dicit, non habet quo referatur; deinde totam horum verborum sententiam hic aptam non esse Nitschius (l. l. p. 90) ostendit. Neque enim hoc loco agitur de Midia propter nequitiam in Demosthenem iteratam puniendo, sed affirmatur scelus in Demosthenem choregum commissum tantum esse ut reus nullo modo absolvi possit. Tum verba *κοινὴ γὰρ ἡ κρίσις καὶ τἀδικήματα κοινά* ante § 219 collocata ferri nequeunt, cum inde a § 219 eadem sententia ita exponatur ut iis quae proxime antecedunt idem ab oratore iam dictum esse credi omnino non possit. Atque Nitschius haec verba post § 222 verba *ἐὰν δέ, τότ' ὀργιεῖσθε νῦν ἀφέντες;* ponenda esse censet. Sed ne ibi quidem apta sunt, cum iis haud bene adiungantur verba *μηδαμῶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, μὴ προδῶτε μήτ' ἐμὲ μήθ' ὑμᾶς αὐτοὺς μήτε τοὺς νόμους.* Illa verba suum locum recipiunt, si inverso ordine post § 222 collocantur; nam post *μὴ προδῶτε μήτ' ἐμὲ μήθ' ὑμᾶς αὐτοὺς μήτε τοὺς νόμους* aptissime sequitur *κοινὴ γὰρ ἡ κρίσις, καὶ τἀδικήματα πάντ' ἐφ' οἷς*

ut supra explicatum est. Absoluta refutatione [1]) finem facit peroratio, cuius postrema verba ultimo loco nobis tradita esse ipsa satis ostendunt. Sunt enim haec: *πάντων οὖν ἕνεκα τῶν εἰρημένων καὶ μάλιστα τοῦ θεοῦ χάριν περὶ οὗ τὴν ἑορτὴν ἀσεβῶν οὗτος ἥλωκε τὴν ὁσίαν καὶ δικαίαν θέμενοι ψῆφον τιμωρήσασθε τοῦτον.* Commodius autem quam ante haec ante § 226 ea collocari videntur quae ex superioribus huc pertinere intelleximus (§ 184—185). Praeterea prima § 184 verba *ἃ τοίνυν οὐδενὸς τῶν εἰρημένων ἧττον ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν, ταῦτ' εἰπὼν ἔτι καὶ βραχέα περὶ τούτων διαλεχθεὶς καταβήσομαι* ostendere videntur hinc perorationem incipere.

Quae cum ita sint tota oratio secundum ordinem quem Demosthenes secuturus erat, si eam perfecisset, sic est disponenda:

I Exordium cum praeparatione § 1—12,
II narratio § 13—18,
III divisio § 19—21,
IV argumentatio
  1) confirmatio *ὕβρεως* et *ἀσεβείας*, qua
    a) Midiam in Demosthenem se insolenter gessisse demonstratur, cuius partis habentur aurificis testimonium (§ 22) et *ἀσεβείας* confirmatio cum ea conexa (§ 51—69), ante quam reliqua praeter illud testimonia et argumenta desunt,

---

νῦν κρίνεται κοινά. Neque minus apte pergitur *πότερ' οὖν τούτου γενομένου κρεῖττον αὖθις ἢ νυνὶ κολάσαι; ἐγὼ μὲν οἶμαι νῦν,* quoniam deinde explicatur iudicum potestatem in eo esse sitam quod leges valeant; leges autem valere, si confirmentur atque indigentibus omni tempore sint praesidio (§ 224 *τίς οὖν ἡ δύναμις αὐτῶν* (scil. *τῶν νόμων*) *ἐστιν; ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς καὶ παρέχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ.*

[1]) Anteoccupatio quam antea diximus (§ 24—41) et ipsa refutatio dici potest; est enim omnis anteoccupatio refutatio eorum quae non dicta sunt, sed dicentur. Cum autem hac quoque quam supra diximus refutatione futurae defensiones reiciantur, hoc unum interest inter hanc refutationem et anteoccupationem illam quod quae illic anteoccupando refelluntur ad insolentiae crimen respiciunt de quo prima orationis parte proxime praegressa sermo fuit, perinde atque enarrationem reliquae rei vitae brevis refutatio eorum subsequitur quae contra hanc videantur dici posse; contra refutatio haec quae maximam orationis partem efficit ad totam actionem refertur.

b) simul Athenienses nefaria contumelia affectos esse, quae pars tota desideratur,

2) priorum et posteriorum Midiae in Demosthenem inimicitiarum et iniuriarum enarratio (§ 77—125) conclusa brevi omnium iniuriarum quae Midiae sceleribus in Demosthenem susceptis continentur comprehensione (§ 126—127),

3) de poena exponitur quam reus contumelia Demostheni (§ 42—50, 70—76) et Atheniensibus (§ 182—183) illata et religione violata (§ 175—181) meruerit, cuius partis desunt argumenta et prior pars exemplorum quae ad alterius sceleris poenam spectent et argumenta quae ad tertii vindicationem pertineant et fortasse etiam aliquot exempla primi criminis puniti,

tum post brevem transitionem (§ 23) sequitur

4) praemissa anteoccupatio (§ 24—41), deinde

5) reliquae Midiae vitae enarratio (§ 128—140), quae brevi refutatione eorum quae contra eam dici possint concluditur (§ 141—142),

V refutatio

1) Midiae, ita ordinata ut
   a) prima causa § 151—170, 143—150, 171—174,
   b) altera § 189—190,
   c) tertia § 191—192,
   d) quarta § 193—204,
   e) lamentatio atque deprecatio § 186—188 redarguatur,

2) patronorum, ita disposita ut
   a) Eubulus § 205—207,
   b) reliqui divites rei amici § 208—225 impugnentur
      α) ratione aequitatis § 208—212,
      β) ratione constantiae § 213—225,

VI peroratio § 184—185, 226 et 227.